Symbolae

ad

Aristotelis politicorum crisin spectantes.

Scripsit

Dr. Josephus Amsdorf.

Pars altera.

Programm

des

**K. Humanistischen Gymnasiums
in Landshut**

für das Studienjahr 1894/95.

Druck der Jos. Thomann'schen Buchdruckerei in Landshut.

III.

De singulis libris agitur.

De libro I.

Agitur hoc libro de re familiari, de familia ipsa per se, de partibus eius singulis, i. e. *περὶ οἰκονομίας*. Hic liber totus nihil aliud est nisi peculiaris „de re familiari = *περὶ οἰκονομίας*“ dissertatio.

At non absolute tractatur familia, sed, quatenus familia pars aliqua totius cuiusdam i. e. reipublicae sit, disseritur. Nam cum respublica nihil aliud sit nisi familiarum coniunctio, huius et illius natura cohaeret apteque vicissim declaratur. Quare libri, quo hac de re agitur, procemium optima quoque politicorum universorum introductio esse videtur, quam ex Christii sententia (a nobis part. I. pag. 34 allata) Aristoteles hunc in finem conscripserit et postea huic peculiari primo de „oeconomia“ commentationi addiderit.[1]) Sed hoc in medio relinquo. — Praeter eam introductionem huius libri cum reliquo opere coniunctio tam levis et laxa est, ut ab ipso Aristotele nondum

1) Scripsit certe Aristoteles eam introductionem; sed ex ceteris argumentis, quibus hunc librum nondum ab Stagirita cum reliquo politicorum opere coniunctum esse evincitur, existimare nolim, iam ipsum illam „hunc in finem“ hic addidisse. Ceterum etiam peculiaris de „oeconomia“ commentationis haud ineptum illa introductio prooemium est. Fortasse Theophrastus illam sic adaptavit, ut politicorum quodam modo initium esse possit videri. Sed neutiquam ea ipsa refutatur sententia nostra peculiarem de oeconomia dissertationem primo hunc librum fuisse. —

cum ceteris libris coniunctus, sed potius ab editoribus demum politicorum pragmatiae additus esse videatur. Nam:

1) in libro primo nullus invenitur locus indubie et certe Aristoteli ipsi attribuendus, quo ad sequentes libros relegemur. Tota enim illa conclusio 1260^{b} 8—25. (I. cap. 5 § 11^{b}) ad eum, qui librum in hunc statum redegit, referenda est, quippe quae ad rationem toto libro adhibitam non conveniat et aperte ad libr. I cum II. coniungendum, quamvis parum apte, addita sit. (cfr. infra pag. 5.)

2) Definitiones quaedam ac sententiae libri I cum posterioribus expresse discrepant, id quod non aliter apte explicari potest, quam si hos ipsos locos alios alio tempore scriptos neque eidem operi destinatos fuisse concedimus. An credimus Aristotelem, siquidem ipse hunc librum toti operi iniunxisset, locos tam aperte inter se discordantes non mutaturum fuisse?

3) In dissertatione continua sequenti uno loco noster liber I. laudatur; sed ea ipsa laudatio talis est, ut ab editore insertam esse illam haud difficulter possit probari.

Est autem ille locus l. III. cap. 4 § 2^{b} (1278^{b} 17 sq.), quo de loco infra (pag. 21 et sequ.) accuratius agemus.

Sic totus liber I. peculiaris περὶ οἰκονομίας dissertatio sine ulla ad reliquum opus relatione et ipse per se absolutus est. In fine quidem libri non pauca interisse videntur, veluti diligentior de marito et uxore, de patre et filio expositio desideratur. Eam commentationis partem Aristoteles non iam perfecerat, aut potius is, qui primum pragmatiam composuit, fortasse non iam invenerat, id quod haud mirum videbitur consideranti Stagiritae opera longum temporis spatium inedita delituisse.

Sed utcumque ea res se habet, editor illud, quod invenit, ceteris libris adiunxit et conclusionem illam (cfr. infra pag. 7) addidit. Nunc autem singula inspiciamus, quoad ad nostram quidem quaestionem alicuius momenti esse videantur.

Cap. I. § 2 (1252^{a} 7 sequ.). Reipublicae notione definita adversatur auctor eis, qui viri in republica versantis et patris familias munus idem esse sentiant. Pungit autem his verbis

Platonem,[1]) qui Politic. pag. 259 E sqq: sic Socratem et Hospitem disputantes inducit: *Ξ. Τί δ'; ὅστις βασιλεύοντι χώρας ἀνδρὶ παραινεῖν δεινὸς ἰδιώτης ὢν αὐτός, ἆρ' οὖν φήσομεν ἔχειν αὐτὸν τὴν ἐπιστήμην, ἣν ἔδει τὸν ἄρχοντα αὐτὸν κεκτῆσθαι; Σ· φήσομεν.* Et paulo infra: *Ξ. Καὶ μὴν οἰκονόμος γε καὶ δεσπότης ταὐτόν; Σ. Τί μήν; κ.τ.λ.* Similiter Xenophon Mem. III. 4. 6. sq. „*λέγω ἔγωγ', ἔφη, ὡς ὅτου ἄν τις προστατεύῃ, ἐὰν γιγνώσκῃ τε ὧν δεῖ καὶ ταῦτα πορίζεσθαι δύνηται, ἀγαθὸς ἂν εἴη προστάτης, εἴτε χοροῦ, εἴτε οἴκου, εἴτε πόλεως, εἴτε στρατεύματος προστατεύοι.*" Et brevi post: *ὤμην ἐγὼ ἀκοῦσαι ὡς ἀγαθοὶ οἰκονόμοι ἀγαθοὶ στρατηγοὶ εἶεν κ.τ.λ.* Optime certe convenit haec adversatio et acuta oeconomi notionis definitio peculiari *περὶ οἰκονομίας* dissertationi. Nam quatenus familiae et domus administratio altera ad alteram pertineat, accurate definire munus utique *περὶ οἰκονομίας* disserentis est. Quamobrem disputationem universam reipublicae notione accurate circumscripta instituit

Cap. II. 1. (1253^b 5 sq.), qua ratione doctrinam de re familiari tractaturus sit, diligenter describit: „*Πρῶτα δὲ καὶ ἐλάχιστα μέρη οἰκίας δεσπότης καὶ δοῦλος καὶ πόσις καὶ ἄλοχος καὶ πατὴρ καὶ τέκνα, περὶ τριῶν τούτων σκεπτέον ἂν εἴη, τί ἕκαστον καὶ ποῖον δεῖ εἶναι.*" Expresse ergo dicit se de his tribus primariis oeconomiae partibus esse acturum sc. de *δεσποτικῇ*, de *γαμικῇ*, de *πατρικῇ*. Sed libro primo nobis tradito nihil nisi *δεσποτικὴ* tractatur et id quidem tam large et copiose, ut ipsa ea dissertatio peculiari commentationi certe magis conveniat quam communi de republica operi. At illam de *γαμικῇ* et *πατρικῇ* disputationem amissam esse eo magis dolendum, quod ex *δεσποτικῆς* tractatione, quam acute et copiose de illis quoque oeconomiae partibus acturus fuerit philosophus, facile concludi potest. Ceterum Aristotelem ipsum servos reliquaque possessionis genera, quae ad *χρηματιστικὴν* pertineant, nihil nisi partes unius *δεσποτικῆς* haberi voluisse praeclarissime demonstratur conclusione cap. II = 1255^b 39 sq. *περὶ μὲν οὖν δούλου καὶ δεσπότου τοῦτον διωρίσθω τὸν τρόπον* collata cum sequentis cap. III. initio (1256^a 1 sqq.): „*Ὅλως δὲ περὶ πάσης κτήσεως*

1) Cfr. Sus.₂ adn. ad l. I. 2.

καὶ χρηματιστικῆς θεωρήσομεν κατὰ τὸν ὑφηγημένον τρόπον, ἐπείπερ καὶ ὁ δοῦλος τῆς κτήσεως μέρος κ.τ.λ.“ Sic optime omnia congruunt usque ad cap. V. 1259ᵃ 38 sqq.: *Ἐπεὶ δὲ τρία μέρη τῆς οἰκονομικῆς ἦν, ἓν μὲν δεσποτική, περὶ ἧς εἴρηται πρότερον, ἓν δὲ πατρική, τρίτον δὲ γαμική,* *****. Hic aperte lacuna statuenda, ut iam Conringius recte perspexit. In emendat. enim ed. Helmst. 1608 ad hunc locum adnotat: „*καὶ γὰρ γυναικὸς* .... nulla his conexio; quin immo videntur hic non pauca desiderari. Hactenus enim disseruerat tantum de una parte *οἰκονομικῆς*, supersunt autem duae integrae; itidem exigunt curam prolixiorem quam est ea, quae hic adhibita est.“ Susemihlius, adnot. 107ᵇ lacunam explere conatur, ut mihi videtur, recte. Utique sensus loci deperditi fuit: ad *δεσποτικὴν* pertinere quoque illos, qui in domo et familia coniuncti sint; nam etiam uxoris et filiorum quandam esse gubernandorum rationem, quamvis valde diversam ab illa, quae ad servos pertineat. Eam autem non minus esse *δεσποτικῆς*. Neutiquam ex hoc loco conici potest his tam breviter monitis *γαμικὴν* et *πατρικὴν* ipsam iam pertractatam fuisse. Immo illae oeconomiae partes integrae hic relinquuntur.

Cap. V. § 11ᵇ (1260ᵇ 8) legimus: *περὶ μὲν οὖν τούτων διωρίσθω τὸν τρόπον τοῦτον· περὶ δὲ ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς καὶ τέκνων καὶ πατρὸς .... ἐν τοῖς περὶ [τὰς] πολιτείας ἀναγκαῖον ἐπελθεῖν.* Hoc loco peculiarem nostrum librum primo fuisse disputationem nullo modo refutatur. Nam aut genuinus est locus: tum auctor ipse ad aliam suam *περὶ [τὰς] πολιτείας* commentationem nos relegat, neutiquam ad librum aliquem insequentem continui operis. Ceterum, quaenam illa *περὶ [τὰς] πολιτείας* commentatio sit, hodie haud facile dicas. Nam in illa, quam nos habemus, *περὶ τὰς πολιτείας* disputationum serie (pol. libr. III—VIII.) omnino tale nihil legimus. An hanc ipsam partem deperditam aut ab auctore non iam perfectam esse statuendum est? —

Aut non genuinus locus est, sed attribuendus editori, qui cum de *γαμικῇ* et *πατρικῇ* dissertationem desideraret, hic generaliter lectores ad sequentes de universa republica disputationes remisit. Tum nimirum nihil certe demonstrat. Utique autem locus suspectus esse videtur, cum idem ille Aristoteles, qui

cap. II § 2 tam expresse commentationem suam in tres partes disposuerit, hic subito duas huius dispositionis partes nescio qua causa omittat et ad aliam dissertationem differat.

Item, quae proxime § 12 sequitur expositio, satis superflua esse partimque repetitio eorum, quae supra de reipublicae et familiae relatione disputata erant, partim e libro II. cap. VI. 5 (1269^b 14 sqq.) deprompta esse videtur. Multo ineptior certeque editori *πραγματείαν* coniungenti tribuenda est § 20 et sequ. Abundat enim tautologiis ipsi Aristoteli vix tribuendis et omnino speciem additamenti ab editore coniungendi gratia appositi prae se fert. Quid sibi vult illud *ὥστ' ἐπεὶ περὶ μὲν τούτων διώρισται*, cum paucis verbis ante „*περὶ μὲν τούτων διωρίσθω* praecedat? Et illa *περὶ δὲ τῶν λοιπῶν ἐν ἄλλοις λεκτέον κ.τ.λ.* nonne simpliciter illa *ἐν τοῖς περὶ τὰς πολιτείας* referunt? Denique quae sequuntur *ἀφέντες ὡς τέλος ἔχοντας τοὺς νῦν λόγους*, sensu mihi carere et aperte falsa esse videntur. Nam quomodo dici potest *τέλος ἔχοντας* (Sus.₂ vertit: die gegenwärtige Untersuchung als abgeschlossen betrachten), cum, quae antea de *γαμικῇ* et *πατρικῇ* promissa sit, hic certe desideretur disputatio? An hoc *τέλος* vocari potest, cum promissum aliquid et desideratum tractatum non sit? Verba autem *ἄλλην ποιησάμενοι ἀρχὴν* concordant quidem cum solemni Aristotelis dicendi formula (cfr. Phys. I. fin. Ethic. Eudem. II. init. Ethic. Nicom. VII. init. et al.), sed, quod hic tam parum apte positum est, ob id ipsum editoris additamentum totum proditur enuntiatum: *ἄλλην ἀρχὴν ποιησάμενοι λέγωμεν καὶ πρῶτον ἐπισκεψώμεθα περὶ τῶν ἀποφηναμένων περὶ τῆς ἀρίστης πολιτείας.*[1]) Nam quomodo huic enuntiato convenit initium libri proxime insequentis: *Ἐπεὶ προαιρούμεθα θεωρῆσαι περὶ τῆς κοινωνίας ..... δεῖ καὶ τὰς ἄλλας ἐπισκέψασθαι πολιτείας* etc.? Nonne sic posterius enuntiatum intolerabilis prioris esset repetitio? Quare potius verba *καὶ πρῶτον ἐπισκεψώμεθα* nihil esse nisi aliam verborum primorum libri II. compositionem arbitramur, ab editore hoc loco additam, ut et coniunctionem quandam cum sequenti libro

1) Fortasse is, qui hanc conclusionem addidit, verba repetiit ex libro II. cap. IX. 1. = 1273^b 27: *τῶν δὲ ἀποφηναμένων* [τι] *περὶ πολιτείας κ.τ.λ.* —

efficeret et lectorem in fine libri breviter moneret, quid posteriore volumine tractaretur; id quod horum editorum moris fuisse compluribus supra (part. I pag. 22) exemplis accuratius exposuimus. Omnibus igitur, quae protulimus, argumentis ponderatis verba ab ὥστ' ἐπεὶ περὶ μὲν τούτων ..... usque ad .... πολιτείας ut editoris additamentum uncinis includamus hac in re Birtio assentientes, qui l. c. pag. 460 adn. idem, si non probavit, at certe breviter monuit, cum dicat: „Buch I steht lose für sich; seine natürliche und angekündigte Fortsetzung ...... ist verloren; die letzten 5 Zeilen ὥστε ἐπεὶ κ.τ.λ. sind sichtlich von der Redaktion angefügt, um den Übergang zu Buch II. zu ermöglichen.“ [1])

De libro II.

Iudicatur hoc libro de Platonis Republica et Legibus, de optime regendi rempublicam rationibus a Phalea et Hippodamo propositis, deinde de Lacedaemoniorum, Cretensium, Carthaginiensium, Atheniensium civitatibus, quae vulgo optime constitutae habentur; adiecta est in fine libri de legum latoribus principibus disputatio.

Ex hac ipsa libri summa aperte, quibus ex partibus compositus sit, cognoscitur. Hae partes singulae aliae aliis tem-

---

1) Cfr. etiam hoc loco, quod Susemihlius in editione tertia Politicorum, nova impr., Lipsiae MDCCCXCIV (Sus.3), Proleg. II. pag. XL et XLI dicit: „At, id quod iam in Quaest. Arist. II. pag. XII. scripsi, hodie inter omnes constat Politica non esse unius atque continui laboris fetum, sed composita e diversis dissertationibus, quae diversis temporibus, quamquam, si rem universam spectamus, secundum idem consilium erant exortae. Neque composita ea esse iam ab ipso Aristotele reor: ut enim haud pauca posteriore demum tempore periisse concedam, nimius tamen est numerus maiorum lacunarum, nimia etiam est confusio totius loci 1286a 20—1287b 34. Accedunt duplices recensiones, accedit in initiis librorum IIIi et VI (IV)i. ubi δέ facillime inseri potuit, huius copulae defectus idemque defectus ullius copulae in initio IIi. ubi δὲ perperam additum est in Π2 familia, γὰρ potius desideratur, ut hoc initium stare queat praeterea non mutatum proxime post finem Ii et cum eo concordare. Neque tamen ipsi Aristoteli hac ratione succurro, sed compositori, qui perperam ultima libri Ii verba 1260b 23 sq. καὶ πρῶτον κ.τ.λ. adiecit.“ —

poribus ortae et postea demum ab auctore arctius coniunctae esse videntur. In primis illam de Platonis Republica et Legibus disputationem separatam antea fuisse commentationem verisimillimum est. Illa autem extremo libro de legum latoribus dissertatio omnino vix ab ipso Aristotele addita esse videtur.

Ceterum huius cum ceteris cohaerentibus libris conexio voluminis satis laxa est omnemque compositionem ab Aristotele parum perfectam fuisse demonstrat. Nam nonnunquam, quae hoc in libro compluribus dicuntur locis, cum eis, quae in posterioribus proferuntur, non apte congruunt, non nulla pro totius operis portione nimis longa, alia nimis compendiosa esse videntur. Sed nihilominus ipsum Aristotelem has de reipublicae optimis formis vel mente excogitatis vel re vera institutis dissertationes maiore cum opere de republica universa coniungere studuisse credendum. Sed libri et initium [1]) et conclusio Alexandrinis potius grammaticis tribuenda est, qui hoc corpus ab Aristotele coniungi incohatum, ab Theophrasto fortasse arctius coaptatum, in minora volumina dissecuerunt. Sed nunc ad singula!

Libri II[i] initium nobis traditum, quam non congruat cum fine libri I[i], iam supra monuimus. Nam, si praecedunt fin. l. I. *πρῶτον ἐπισκεψώμεθα περὶ ἀποφηναμένων περὶ τῆς ἀρίστης πολιτείας* — et pergitur init. l. II.: *Ἐπεὶ (δὲ)* [2]) *προαιρούμεθα περὶ τῆς κοινωνίας τῆς πολιτικῆς τις κρατίστη κ.τ.λ.*, hoc parum concinnum esse facile cognoscitur. Minime particula aliqua desideratur. Nam illud *δὲ*, quod in Π^2, meliore quidem codice, legimus, parum ad inconcinnam verborum coniunctionem sanandam valet. Susemihlius idem ratus ad hunc locum (Sus.$_2$ pag. 148 adn. 1) dicit: „eine wirklich passende Anknüpfung würde vielmehr durch *γὰρ* hergestellt werden.“ Sed Sus.$_3$ loco supra allato recte monet hac ratione non ipsi Aristoteli, sed compositori succurri. Ceterum ne *γὰρ* quidem inserto penitus huic

1) De initio hoc non indubie dicere velim, ut infra accuratius exponam; librorum autem divisionem totius operis non esse Aristoteliam hoc quoque probatur initio.

2) *δὲ* deest in Π^1 et Ar. quare Sus.$_2$ et Sus.$_3$: *Ἐπεὶ* [*δὲ*] scribit. Ceterum cfr. adnotationem pagin. 8.

loco medetur. Quare hoc loco ex ullius particulae defectu vestigium aliquod invenisse mihi videor, quomodo primo hic liber, cum nondum cum priore coniunctus erat, orsus sit. Nam haec verba: *ἐπεὶ προαιρούμεθα* ...... *κ.τ.λ.* primo simpliciter initium disputationum de republica seriei fuerant. Aptissime autem sic eam dissertationem incohari posse nemo non concedet. Sed postea, cum editores illum de oeconomia tractatum ut primum librum adiunxissent et in fine eius libri conclusionem ex initio sequentis adiecissent, inconcinnitas certe quaedam exstitit.[1]) Haec autem cum singula volumina in codices continuos transcriberentur, eo magis apparuit et tum ab librario aliquo codicis alicuius illud *δὲ* coniungendi gratia insertum est. Recentiores commentatores ad sensum aptius *γὰρ* postulant. Sed neutrum Aristotelem scripsisse credendum est. Ceterum inter ultimum libri I. enuntiatum et libri II. initium alia quoque est differentia, qua illius compositoris res tractandi ratio parum acuta appareat. Nam § 1 libr. II. aperte dictum est: *πολιτείας, αἷς τε χρῶνταί τινες τῶν πόλεων τῶν εὐνομεῖσθαι λεγομένων, καὶ εἴ τινες ἕτεραι τυγχάνουσιν ὑπό τινων εἰρημέναι καὶ δοκοῦσαι καλῶς ἔχειν* i. e. auctor optimas reipublicae formas et re vera institutas et a philosophis propositas tractaturum se pollicetur. Grammaticus vero ille *ὑπὸ τινῶν εἰρημέναι* potissimum ratus illud non minus grave *αἷς τε χρῶνταί τινες κ.τ.λ.* omnino neglexit. Nam „*ἀποφηναμένων περὶ τῆς ἀρίστης πολιτείας* in fin. libri I. solum ad *ὑπὸ τινῶν εἰρημέναι* referri potest. Aristoteles autem ipse conclusionis verba certe non adeo leviter composuisset.

Quae nunc sequitur de Platonis Republica et Legibus disputatio, eam accuratius inquirere non nostrum est, cum librorum tantum divisionem et politicorum compositionis rationem tractare nobis proposuerimus. Ad eam autem quaestionem illustrandam ipsius dissertationis continua expositio non multum confert. Alicuius momenti esse videtur cap. I. § 5,4

[1]) Quod nos, qui continuos habemus libros, offendit, Alexandrinorum aetate non offendisse credendum est: nam singuli libri singula erant volumina; his separatim lectis repetitiones tales, quae adiuvandae lectoris memoriae et opportunitatis cuiusdam gratia additae erant, certe mirae esse non poterant. (cfr. p. I. pag. 22 et 30.)

= 1261 a 31, quo loco ὥσπερ ἐν τοῖς ἠθικοῖς εἴρηται πρότερον ethica citantur. Haec verba, ut iam pridem cognitum, non nisi ad ethica Nicomach. V. 5. 6. (1132ᵇ 31 sq.) referri possunt. Sed cum hoc loco τὸ ἴσον τὸ ἀντιπεπονθὸς σώζει τὰς πόλεις legamus, illo vero ἀλλ' ἐν μὲν ταῖς κοινωνίαις ταῖς ἀλλακτικαῖς συνέχει τὸ τοιοῦτον δίκαιον τὸ ἀντιπεπονθός, κατ' ἀναλογίαν καὶ μὴ κατ' ἰσότητα· τῷ ἀντιποιεῖν γὰρ ἀνάλογον συμμένει ἡ πόλις scriptum sit, hos locos ad sensum magis quam ad singula verba congruere facile intelligitur. Nam solum ἀντιπεπονθός vocabulum idem est. Certe autem nimis audacter fecisse mihi videtur Heitzius, qui „die verlornen Schriften d. Aristoteles pag. 100" sq. hanc citationem ob id ipsum posterius alicuius editoris additamentum declarat, quod illud πρότερον („als Fingerzeig auf die schon durch ihren Schluss mit der Politik eng verbundene Ethik bedenklich") suspectum sit. Sed quid hoc sibi velit, prorsus non intellego.

An Aristoteles librum sine dubio ante politica scriptum non verbo „πρότερον" citaret? Si quidem re vera ethica cum politicis ab ipso Aristotele arcto quodam vinculo in unum opus coniuncta essent, ea citandi ratio fortasse mira esset. Sed hoc, ut statim monstrabimus, neutiquam ita se habet. Immo hoc ipso ethica laudandi modo demonstratur politica et ethica ab ipso auctore diversa atque separata existimata esse opera. Locus autem fin. ethic. Nicom., quo ei nituntur, qui, veluti Heitzius, Diebitschius, Nickesius aliique, politica cum ethicis ab Aristotele ipso in unum corpus coaptata volunt, hic est (1181ᵇ 12—23): „Παραλιπόντων οὖν τῶν προτέρων ἀνερεύνητον τὸ περὶ τῆς νομοθεσίας, αὐτοὺς ἐπισκέψασθαι μᾶλλον βέλτιον ἴσως, καὶ ὅλως δὴ περὶ πολιτείας, ὅπως εἰς δύναμιν ἡ περὶ τὰ ἀνθρώπινα φιλοσοφία τελειωθῇ· πρῶτον μὲν οὖν εἴ τι κατὰ μέρος εἴρηται καλῶς ὑπὸ τῶν προγενεστέρων πειραθῶμεν ἐπελθεῖν, εἶτα ἐκ τῶν συνηγμένων πολιτειῶν θεωρῆσαι τὰ ποῖα σώζει καὶ φθείρει τὰς πόλεις καὶ τὰ ποῖα ἑκάστας τῶν πολιτειῶν, καὶ διὰ τίνας αἰτίας αἱ μὲν καλῶς[1]) αἱ δὲ τοὐναντίον πολιτεύονται. Θεωρηθέντων γὰρ

1) Simili sensu hic discernitur, atque politic. II. 6. 1, 4 (Sus.²) = 1269a 30 sq., cuius loci is, qui hanc conclusionem composuit, fortasse memor fuit.

τούτων τάχ' ἂν μᾶλλον συνίδοιμεν καὶ ποία πολιτεία ἀρίστη, καὶ πῶς ἑκάστη ταχθεῖσα, καὶ τίσι νόμοις καὶ ἔθεσι χρωμένη. λέγωμεν οὖν ἀρξάμενοι."

Hoc loco proponerentur politica sine libro I. hoc ordine librorum: II. V. VII. VIII. IV. VI. Sed ne sic quidem ordinatis libris nostris politicis id describeretur, quod hic promittitur. Praeterea sic dispositi politicorum libri omni carerent coniunctione. Quare aut ad nostra politica hic locus omnino referri non potest -- atqui nusquam accepimus alia quoque politica ab Aristotele scripta esse — aut, id quod multo verisimilius est, compositoris alicuius additamentum est, qui singulas huius conclusionis partes e variis politicorum locis congereret, et hac in re librorum ordinis nullam fere rationem haberet. Sic e. gr τὰ ποῖα σώζει καὶ φθείρει τὰς πόλεις respondent initio l. V. τίνες ἑκάστης πολιτείας φθοραὶ ..... ἔτι δὲ σωτηρίαι τίνες κ.τ.λ. Ceterum totum enuntiatum multa habet, quae graves dubitationes moveant. Quam artificiose e. gr. dictum est: ἐκ τῶν συνηγμένων πολιτειῶν θεωρῆσαι, cui locutioni similem in toto Aristotele inveni nullam. Denique quid sibi volunt verba in fine posita: „συνίδοιμεν καὶ ποία πολιτεία ἀρίστη, καὶ πῶς ἑκάστη ταχθεῖσα, καὶ τίσι νόμοις καὶ ἔθεσι χρωμένη"? Significare certe debent: Cognoscamus, et qualis civitas optima sit, et (praeterea quomodo singulae quaeque institutae) quibusque legibus et moribus usae (in suo quaeque genere optimae sint.) Verbis autem uncinis inclusis demum appositis aliquis sensus huic loco additur. Sed quam contorta, quam artificiosa omnis ea dicendi ratio est! Ceterum hoc iam a prioribus politicorum commentatoribus recte cognitum est. Sic Schlosser (Übers. d. Polit. I. pag. XVIII apud Sus., Einl. pag. 72) his verbis: „Der Schluss dieser Stelle und der Anfang der Politik hängen nicht zusammen auch verfolgt Aristoteles den Plan, der hier angelegt wird, gar nicht", diserte eandem sententiam defendit. Et profecto omnibus et sensus et verborum huius loci difficultatibus et offensionibus ponderatis num melius facere poterimus quam assentiri Susemihlii ipsius pag. 73 l. c. prolato iudicio: „Kurz, welcher Zeit immer dieser gefälschte Zusatz angehört, jedenfalls wusste der Verfasser selber nicht, was er that, und man würde sich

grösstentheils vergeblich abmühen, in seinem „Wahnsinn“ auch nur „Methode“ entdecken zu wollen.“? Conclusione igitur illa ethicorum Nicomach. Aristoteli recte abrogata grammaticoque alicui neque ei sapientissimo attributa, collabuntur sane omnium illorum acutae certe, quamvis artificiosae coniecturae, qui sicut Nickesius[1]) inprimis, in politicis explicandis hoc potissimum loco pro fundamento usi sunt. Sed haec hactenus!

Cap. III. § 7 = 1265^b 17 sq.: *Ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων, πῶς ἂν οἰόμεθα βέλτιον ἔχειν, λεκτέον ὕστερον.* Referri potest illud *ὕστερον* nusquam nisi ad VII. $9{,}7^b$ = 1330^a 10 sq. et ad VII. 14. 10 = 1335^b 20 sq., qua ex re demonstratur iam ab ipso Aristotele hanc disputationem cum sequentibus libris coniungi coeptam esse. Sed dico coeptam esse. Perfecta enim et absoluta ea coniunctio certe non fuit. Nam tum Aristoteles locos diversarum disputationum aperte discrepantes aliquo modo inter se concordes reddere studuisset, quales e. gr. sunt II. 3. 8^c = 1265^b 24. et VII. $9{,}7^b$ = 1330^a 9 sq. Priore enim loco dicit: *Καὶ τὴν τῶν οἰκοπέδων δὲ διαίρεσιν δεῖ σκοπεῖν, μή ποτ' οὐ συμφέρῃ πρὸς οἰκονομίαν· δύο γὰρ οἰκόπεδα ἑκάστῳ ἔνειμε διελὼν χωρίς, χαλεπὸν δὲ οἰκίας δύο οἰκεῖν.* Huic sententiae aperte contradicit locus posterior: *ἀναγκαῖον τοίνυν .... τῆς τῶν ἰδιωτῶν* (sc. *χώρας*) *τὸ ἕτερον μέρος τὸ πρὸς τὰς ἐσχατιάς, ἕτερον δὲ τὸ πρὸς τὴν πόλιν, ἵνα δύο κλήρων ἑκάστῳ νεμηθέντων ἀμφοτέρων τῶν τόπων πάντες μετέχωσιν.* -- Quod igitur uno vituperat loco, altero ipse commendat. Susemihlius$_2$, qui adnot. 215 hac de discrepantia disserit: „Er muss also wohl bei der Ausarbeitung des letzteren anderen Sinnes geworden sein und dann hinterher das betreffende nun nicht mehr passende Stück seiner Kritik Platons zu tilgen vergessen haben“, ait.

Concedo; et hac ipsa re iterum demonstratur coniunctionem singularum politicorum partium primo peculiarium ab

---

1) Rectissime Sus.$_2$ l. c. pag. 72 adnot. 2. Nickesii artificiosam interpretandi rationem reprehendit. Is enim, ut libri I. quoque hoc loco inveniret relationem, quae quidem, ut supra monuimus, omnino deest, illud *λέγωμεν οὖν ἀρξάμενοι* in fine ethicorum: „erst nachdem wir zuvor noch einen Anfang von a n d e r e m Inhalt (!!) voraufgeschickt (!) haben“ interpretatur. Cui explicandi rationi vix aliqua haberi potest fides. —

Aristotele non iam perfectam esse. Scripserat enim aperte multo prius hanc de Platonis Republica et Legibus commentationem quam aliam de optima republica constituenda. Cum autem postea consilium cepisset has duas diversis temporibus conscriptas disputationes coniungere, hoc consilium exsequi coepit, exsecutus non est. Nam si perfecisset, tantam discrepantiam delere certe non esset oblitus.

Editoris autem manum opus extrinsecus quidem summis viribus coaptare conantis suspicor in loco cap. III. § 13. = 1266^{a} 22 sq.: *ὡς μὲν οὖν οὐκ ἐκ δημοκρατίας καὶ μοναρχίας δεῖ συνεστάναι τὴν τοιαύτην πολιτείαν ἐκ τούτων φανερὸν καὶ τῶν ὕστερον ῥηθησομένων, ὅταν ἐπιβάλλῃ περὶ τῆς τοιαύτης πολιτείας ἡ σκέψις. ἔχει δὲ καὶ περὶ τὴν αἵρεσιν· κ.τ.λ.* Si hoc loco verba *καὶ τῶν ῥηθησομένων ..... ἡ σκέψις*, quae ad IV. 5. 9. et 6. 7. 9 = 1239^{a} 35 sq. et 1294^{a} — 1294^{b}, 1295^{a} 24 1296^{b} 12 referuntur, uncinis includamus, nemo certe ad sensum quidquam desideret. Nam sufficit dicere „talem rempublicam ex democratia et monarchia constare non debere, ex eo, quod diximus, patet“ *(ἐκ τούτων φανερόν)*. Sed si patet *(φανερὸν)*, cur magis pateat eis, quae postea demum dicenda sunt? Minimum enim hic desideraretur *(ἐκ τούτων φανερὸν) καὶ μᾶλλον φανερὸν γενήσεται (τῶν ὕστερον ῥηθησομένων.)* [1])

Nam sine hoc additamento mira sane haec dicendi ratio est. Augetur etiam suspicio formula illa dicendi: *ἐπιβάλλῃ περὶ τῆς πολιτείας ἡ σκέψις* Aristoteli inusitata. Nam aut *περὶ τ. πολ.* coniungi debet cum *ἐπιβάλλῃ*. Sed nusquam hoc reperitur apud Aristotelem. Loci enim, ubi *ἐπιβάλλειν* simili sensu occurrit, sunt hi: *ὅσον ἐπιβάλλει τῇ φυσικῇ φιλοσοφίᾳ μκ.* 1. 464^{b} 33. (ind. Bon.); *ὅσον ἐπιβάλλει ἑκάστῳ΄ II β.* 3. 1216^{b} 35 et sic saepius; *ἑκάστῳ τῆς εὐδαιμονίας ἐπιβάλλει τοσοῦτον, ὅσονπερ ἀρετῆς. II. η* 1. 1323^{b} 21. *II α* 13. 1260^{a} 14 *ὅσον ἐπιβάλλει αὐτοῖς.* Omnibus his locis *ἐπιβάλλειν τινί* „pertinere ad aliquid“ significat et cum dativo casu coniunctum est; sed nullum *περὶ* c. gen. invenitur exemplum. Quare ipse Bonitzius singularem hanc dicendi rationem afferens caute: „.... inde explicandum videtur

---

1) Similiter Isococrates, Euagor. cap. 7, 33—34: „*οὐ μὴν ἀλλ' ἔτι γε σαφέστερον περὶ ἀμφοτέρων τούτων ἐκ τῶν ἐχομένων δηλώσειν.*“

... ὅταν ἐπιβάλλῃ περὶ πολ. κ.τ.λ.“ dicit. Aut περὶ τ. τ. πολ. ab σκέψις pendet. Sed tum ἐπιβάλλῃ absolute, cum sensu „perveniendi“ vel eius modi verbi adhibitum esset, cuius usus item nullum invenitur documentum. Certe igitur dativus aliquis desideraretur.[1]) Cum igitur omnis ea locutio ad sensum et ad verba non unam habeat offensionem, contra, si deesset, enuntiatum satis clarum et congruum esset, non audacius faciam, si haec verba compositoris additamentum censeam, qui hoc loco lectorem ad sequentem VI. librum apte relegare se posse arbitraretur, ut coniunctionem totius πραγματείας arctiorem redderet. —

Cap. VI. § 1 = 1269ª 27 sq. διὸ νῦν μὲν ἀφῶμεν ταύτην τὴν σκέψιν (ἄλλων γάρ ἐστι καιρῶν). Cum in nostris politicis nihil legamus, ad quod illud ἄλλων καιρῶν referendum sit, non necessario cum Sus.₂ (Einl. pag. 47 adn. 3) ad locum aliquem nobis deperditum relegari nos credendum, sed verba etiam simpliciter significare possunt: hac de re alia occasione i. e. in alia dissertatione dicendum est. —

Cap. VI. 20 = 1271ª 18 sq.: Verbis περὶ βασιλείας ... ἄλλος ἔστω λόγος relegamur ad III. 9—11 = 1284ᵇ 35—1288ª 30, qua prolatione denuo hunc librum cum insequenti coniungi coeptum esse demonstratur. Vestigium autem peculiarem hanc libri II. disputationem primo fuisse praebere mihi videtur initium cap. VI. § 1 = 1269ª 27—34: Nam verbis δύο εἰσὶν αἱ σκέψεις, μία μὲν εἴ τι καλῶς ἢ μὴ καλῶς πρὸς τὴν ἀρίστην νενομοθέτηται τάξιν, ἑτέρα δ' εἴ τι πρὸς τὴν ὑπόθεσιν καὶ τὸν τρόπον ὑπεναντίως τῆς προκειμένης αὐτοῖς πολιτείας dupliciter se de his civitatibus iudicaturum profitetur, et quatenus ad absolutam et perfectam omnibus numeris rempublicam, et quatenus ad suum ipsarum statum et condicionem bonae aut malae sint. Illud autem πρὸς τὴν ἀρίστην τάξιν = „ad normam absolutae et perfectae civitatis“ hoc fere demonstrare mihi videtur Aristotelem, cum haec scriberet, eam, quae postea de optima civitate sequitur, dissertati-

---

1) Accedit, quod omnibus fere aliis locis simpliciter φανερὸν ἐκ τούτων positum sit: cfr. e. gr. Π 1275ᵇ 17 ἐκ τούτων φανερόν; 1277ª 13 φανερὸν ἐκ τούτων. 1281ᵇ 10, 11 φανερὸν ἐκ τῶν εἰρημένων. Et sic saepissime.

onem nondum partem continuae disputationis, cum hoc II. libro cohaerentis, destinavisse. Nam tum aut hic ad illam de *ἀρίστῃ πόλει* dissertationem lectorem relegaturum fuisse, aut ibi hunc locum retractaturum verisimillimum est. Contra hic illam optimae civitatis notionem obiter tantum describit et simpliciter verbis *οὐ καλῶς — φαύλως ἔχειν* contrarium significat. In omni autem, quae proxime sequitur, commentatione *ἀρίστη τάξις* magis vulgari sensu „rationis reipublicae regendae egregiae“ quam „absolutae et perfectae philosophi“ dicta esse videtur.[1])

Post Lacedaemoniorum, Carthaginiensium, ceterorum leges descriptas adiecta est satis longa de legum latoribus disputatio.

Hanc autem inepte hic additam et fortasse spuriam esse iam saepius a viris doctis dictum est. Hac de quaestione copiosissime disseruit Sus.$_2$ (Sus.$_3$ omnem eam commentationem 1274^a 22—1274^b 26 uncinis includit.), adnot. 423 ad hunc locum (cap. IX 5—9), cuius argumentis breve quid addamus. Mirum esse concedo Aristotelem hic Phaleam et Platonem denuo commemorare atque id, quod cap. IX. 1 = 1273^b 29 sq. dixerat: „*περὶ ὧν εἴ τι ἀξιόλογον, εἴρηται σχεδὸν περὶ πάντων* — ubi illi *ὧν* et Solon et Lycurgus intellegendi sunt, de quibus 33, 34 dicit *οἷον καὶ Λυκοῦργος καὶ Σόλων — οὗτοι γὰρ καὶ νόμους καὶ πολιτείας κατέστησαν*“, iam oblitum esse; attamen cum Susemihlio totam hanc disputationem spuriam et interpolatoris alicuius opus existimare nolim.[2])

---

1) Cfr.: 1260^a 34—36 (cap. VI. 2 *ὅτι μὲν οὖν δεῖ τῇ μελλούσῃ καλῶς πολιτεύεσθαι τὴν τῶν ἀναγκαίων ὑπάρχειν σχολήν, ὁμολογούμενόν ἐστι* (cfr. etiam: cap. VI. 5., VI. 13; VI. 14, VI. 16.). Deinde cap. VI. 23^b = 1271^b 15: *ἀποβέβηκε τοὐναντίον τῷ νομοθέτῃ τοῦ συμφέροντος*, ubi *συμφέροντος* aperte respondet *ἀρίστῃ τάξει*. 1272^b 24 = cap. VIII. 1: *πολιτεύεσθαι δὲ ... Καρχηδόνιοι καλῶς*; paulo infra (30): *σημεῖον πολιτείας συντεταγμένης*, ubi aut cum Schneiderio *εὖ συντεταγμένης* aut cum Bergkio *εὖ τεταγμένης* legere velim. —

1) Nuperrime defendit Peter Mayer: Die Politik des Arist. und d. *Ἀθην. πολιτεία* Bonn 1891, pag. 27 et 28 hanc libri II. partem, cum de *νομοθέτου* notione accuratius disputet: „So lange man als Thätigkeit des *νομοθέτης* Schaffung der Verwaltungsnormen und des Strafrechts ansah, verfuhr Susemihl einzig richtig ... Verfassungsbestimmungen trafen sämmtliche hier erscheinenden *νομοθέται* ...... sonst hätten die betreffenden *νομοθέται* in diesem Buche keine Stelle gehabt etc. etc.“

Nam multas easque doctissimas certe observationes ad historiam pertinentes continet, quae ex melioribus fontibus haustae esse videntur, quam ut interpolatori alicui attribuere velim. Quare hoc statuam: Posteriores grammatici, qui hanc de republica constituerunt *πραγματείαν* et ediderunt, in philosophi scriptis praeter reliquam libri II. disputationem separatim fortasse hanc de legum latoribus invenerunt expositionem, quam huc pertinere rati parum apte addiderunt. Sic et offensionem, quam tota ea pars sine dubio praebet, concedimus et Aristoteliam disputatiunculae originem servamus.

Nunc vero conclusionem libri accuratius inspiciamus. Concluditur liber II. 1274b 26: *Τὰ μὲν οὖν περὶ τὰς πολιτείας τάς τε κυρίας καὶ τὰς ὑπό τινων εἰρημένας ἔστω τεθεωρημένα τὸν τρόπον τοῦτον.* Haec conclusio, quam Susemihlius contra codices et omnes priores editores in initio libri III. posuit, grammatico hunc locum ad librum dividendum aptum rato et libri finem nonnullis verbis diserte notanti tribuere velim. Nam

1) nullo modo cum praecedentibus cohaeret (neque cum ultimis § 5 verbis: *οὐ μὲν ἀλλὰ ἴδιόνγε οὐδὲν αὐτοῦ λέγειν ἔχοι τις ἄν*, neque § 4 .... *τὸ δὲ τέταρτον τὸ θητικὸν οἷς οὐδεμιᾶς ἀρχῆς μετῆν)* sicque sine ulla vi omitti potest.

2) Omnino speciem prae se fert illarum repetitionum a grammaticis in finibus singulorum voluminum maiore cum lectoris opportunitate additarum. (cfr. Ethic. Nicom. f. l. III. *ταῦτ' οὖν ἡμῖν εἰρήσθω περὶ σωφροσύνης* f. l. VII. *περὶ μὲν οὖν ἐγκρατείας καὶ ἀκρασίας καὶ περὶ ἡδονῆς καὶ λύπης εἴρηται* (cfr. conclus. cap. X.) libr. IX fin. *περὶ μὲν οὖν φιλίας ἐπὶ τοσοῦτον εἰρήσθω.* Pol. fin. l. VI. *περὶ μὲν οὖν τῶν ἀρχῶν ὡς ἐν τύπῳ εἴρηται σχεδὸν περὶ πασῶν.* etc.)

3) Forma ipsa verborum suspecta est; nam aperte deprompta sunt ex initio libri II. *πολ. αἷς τε χρῶνταί τινες* (hic compendiose *κυρίας)*, *καὶ εἴ τινες ἕτεραι τυγχάνουσιν ὑπό τινων εἰρημέναι* = hoc loco: *τὰς ὑπό τινων εἰρημένας.*

His causis ductus ultimum enuntiatum, quod ita compositum est, ut ad rationem, qua grammaticos in libris dividendis usos esse supra monstravimus, conveniat, editori politicorum *πραγματείαν* redigenti et in libros dividenti attribuere velim.

De libro III.

Agitur hoc libro, cap. I—IX reipublicae et civis notione definita, de variis reipublicae constituendae formis, deinde cap. IX—XI de regno disseritur, cap. XII disputatio ad optimam rempublicam inquirendam traducitur. Ex hac ipsa summa, e quibus duabus, primo ipsis per se fortasse separatim conscriptis, partibus hic liber constet, facile cognoscitur.

Incipit autem liber: *Τῷ περὶ πολιτείας ἐπισκοποῦντι, καὶ τίς ἑκάστη καὶ ποία τις, σχεδὸν πρώτη σκέψις περὶ πόλεως ἰδεῖν, τί ποτέ ἐστιν ἡ πόλις.* Hoc enuntiatum sine ulla particula, qua praecedentibus coniungatur, nobis traditum est. Hoc autem vestigium feliciter servatum mihi videtur separatim primo has, quae sequuntur, de rebus publicis (*περὶ πολιτείας* accus. plur.) disputationes compositas fuisse. Nam introductionis fere in novam et hoc ipso loco inchoatam dissertationem haec verba speciem prae se ferunt, et cum illis, quae antecedunt, nullo conexu cohaerent. Primus autem politicorum pragmatiae compositor, cui hoc loco novum incipiebat volumen, coniunctionem certe non desideravit neque quidquam addere oportere censuit. omnesque deinceps librarii fideliter hoc conservaverunt. Nos vero, qui aut cum Susemihlio hoc enuntiatum proxime cum praecedenti *τὰ μὲν οὖν κ.τ.λ.* init. libr. III. legimus, aut summum in pagina priore, i. e. in fin. l. II. scriptum invenimus, omnem hic coniunctionem deesse certe miramur. Quare Thurotius post *τοῦτον* *** lacunam statuit, Susemihlius$_2$ adnot. 2 ad hunc locum *δὲ* post *τῷ* desiderat, cum dicat: „Ob es (sc. *δὲ*) durch Schuld der Abschreiber ausgefallen ist oder ob diese Auslassung einen tiefern Grund hat, muss ...... dahingestellt bleiben.“ Hanc autem, quam Susemihlius suspicatur, causam graviorem eis, quae modo exposui, attigisse mihi videor.

Cap. I. § 1 = 1274^b 33: ..... *τί ποτέ ἐστιν ἡ πόλις.* Primum igitur novae disputationis civitatis definitionem quaerit. Atqui in libr. I. § 1: 1252^a 1 sq. civitatem „*πᾶσαν πόλιν ὁρῶμεν κοινωνίαν τινὰ οὖσαν καὶ πᾶσαν κοινωνίαν ἀγαθοῦ τινος ἕνεκεν συνεστηκυῖαν κ.τ.λ.*“ definierat.

Fortasse igitur hoc loco ad illam libri I. definitionem bre-

viter nos remittere debuit, si quidem iam ipse illum librum toti adiunxisset corpori; nam ipsa duarum definitionum comparatione „πόλεως“ notio clarius illustratur.

Ceterum laxae quoque huius cum praecedenti libro II. coniunctionis documentum praebere videtur cap. I § 7 = 1275 b 11 sq.: „τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον (sc. quo Lacedaemonii) καὶ περὶ Καρχηδόνα· πάσας γὰρ ἀρχαί τινες κρίνουσι τὰς δίκας.“ Cui hic non in mentem veniunt, quae libr. II. cap. VIII. 4 = 1273 a 19 de Carthaginiensibus dixerat: „τὰς δίκας ὑπὸ τῶν ἀρχείων δικάζεσθαι πάσας, καὶ μὴ ἄλλας ὑπ' ἄλλων καθάπερ ἐν Λακεδαίμονι“? Horum locorum discrepantiam apertam quis non videt? Susemihl.₂ adn. 444 acute certe eam tollere conatus est; sed nonne simpliciter duorum locorum contradictio explicatur, si auctorem ipsum compositionem operis non iam perfecisse et, cum hi loci diversis temporibus et in diversis primo disputationibus scripti inter se discordarent, tamen unum locum ad eam, quam postea de illa re haberet, sententiam emendare oblitum esse, pragmatiae compositorem vero eam repugnantiam omnino non sensisse statuamus?

Cap. I § 12 = 1276 a 30 sq.: ἀλλὰ περὶ μὲν ταύτης τῆς ἀπορίας εἰς ἄλλον καιρὸν χρήσιμος ἡ σκέψις cum Susemihlio₂ adn. 464 ad VII. 4 = 1325 b 40 — 1326 b 25 referam. Concedo quidem ibi quoque hanc ἀπορίαν partim modo solutam esse, sed hoc imperfecto operis statu aptissime declaratur. Ad V. 2. 10 = 1303 a 25 sq. autem hoc loco nos remitti negamus ob eam causam, quod, quamquam similia, neutiquam eadem ibi tractari damus, omnino librum V. nondum ab Aristotele cum ceteris coniunctum esse credimus. Qua de re postea accuratius disseremus.

Memoratu quoque dignum videtur, quam diverse I. et III. libris πόλιν definiat,[1]) cum in utraque disputatione ea definitio fini proposito accommodata sit: lib. III. c. I. 13 = 1276 b 1 sq. εἴπερ γάρ ἐστι κοινωνία τις ἡ πόλις, ἔστι δὲ κοινωνία πολιτῶν π ο λ ι τ ε ί α ς; nam περὶ π ο λ ι τ ε ί α ς hoc disseritur loco; libro I. autem, ubi περὶ οἰκονομίας agitur I. 1. 8 = 1252 b 27 ἡ δ' ἐκ

1) Cfr. etiam pag. 18 fin.

πλειόνων κωμῶν κοινωνία τέλειος πόλις apte definitur. Non levis mihi videtur momenti esse cap. II. § 3 = 1276^b 36 sq. (context. edit. Sus.$_2$):

Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ κατ' ἄλλον τρόπον ἔστι διαποροῦντας ἐπελθεῖν τὸν αὐτὸν λόγον περὶ τῆς ἀρίστης πολιτείας .... ἐπειδὴ ἀδύνατον ὁμοίους εἶναι πάντας τοὺς πολίτας[1], *δεῖ δ' ἕκαστον τὸ καθ' ἑαυτὸν ἔργον εὖ ποιεῖν, τοῦτο δὲ ἀπ' ἀρετῆς· - οὐκ ἂν εἴη ἀρετὴ μία πολίτου καὶ ἀνδρὸς ἀγαθοῦ κ.τ.λ.* et cap. IV. 1 = 1278^a 40, 1278^b 1 sq.: *πότερον μὲν οὖν ἑτέραν ἢ τὴν αὐτὴν [ἀρετὴν] θετέον, καθ' ἣν ἀνὴρ ἀγαθός ἐστι καὶ πολίτης σπουδαῖος, δῆλον ἐκ τῶν εἰρημένων, ὅτι τινὸς μὲν πόλεως ὁ αὐτός, τινὸς δ' ἕτερος κ.τ.λ.* . . .

Ad hos locos Susemihlius adn. 471 a, b, c. haec dicit: „Wie stimmen hiezu die Stellen,[2] nach denen im besten Staate wenigstens eine sehr hohe annähernde Gleichheit der Bürger angenommen werden muss?"

Illorum deinde sententia, qui hoc additamentum spurium esse volunt, recte refutata pergit: „Es bleibt nur noch die Annahme übrig, Aristoteles sei, als er diese Partie schrieb, noch nicht ganz mit seinem Idealstaat im Klaren gewesen, und eine später beabsichtigte, aber nicht zu Stande gekommene Umarbeitung und nicht die jetzige Ausführung habe er bei jener Rückdeutung im Auge."

Sed quomodo Aristoteles in locum remittere potest, qui nondum scriptus erat? Immo hac et aliis multis discrepantiis nihil aliud demonstratur, nisi Aristotelem ipsum totius *πραγματείας* compositionem et coniunctionem non iam perfecisse. — Cap. II § 8 = 1277^a 33; *ἔστι γὰρ ἀρχὴ δεσποτικὴ κ.τ.λ.* Hac de *ἀρχῇ δεσποτικῇ* in libro I. copiosissime egerat (cfr. I. *2. 22*; 3. *2*; et 5. 10.) — Eo magis mirum est — siquidem iam ab ipso auctore lib. I. cum ceteris coniunctus fuisset — nos hic nullis verbis ad illos locos remitti, praesertim cum alias illis *καθάπερ πρότερον εἴπομεν, καθάπερ ἐλέχθη* et similibus haud parce uti eum satis constet. Cap. II § 10 = 1277^b 24: aliud nostrae sen-

---

1) Verba *ἐπειδὴ — πολίτας* transposuit Susemihlius, quem hic secutus sum, contra Bekk. et Bernays. Thuroti propositum accipiens. —

2) Cfr. etiam: S.$_2$ adn. 133 ad II. 1. 5. —

tentiae argumentum repetitur ex hoc loco: *ἐπεὶ καὶ οἰκονομία ἑτέρα ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς κ.τ.λ.* Hic ipso *οἰκονομίας* vocabulo nos ad illam libri I *περὶ οἰκονομίας* disputationem relegari exspectamus, si quidem utraque de simili re tractatio in uno atque eodem opere legeretur. Sed neutiquam hoc fit, immo ea ipsa, quae hunc spectare videtur l. I. dissertatio (I. 3 = 1256ª—1258ᵇ), cum eis, quae hic dicuntur, nihil congruunt.

Sus.₂ adn. 496: „Nur nothdürftig lässt sich diese Behauptung mit I. 3. in Einklang bringen"[1]) confitetur. Quomodo aptius ea discrepantia explicatur, quam illa, quam nos defendimus, sententia?

Gravissimus locus ad nostram quaestionem est cap. IV. § 2ᵇ = 1278ᵇ 17 sq.: *εἴρηται δὲ* [*καὶ*[2])] *κατὰ τοὺς πρώτους λόγους, ἐν οἷς περὶ οἰκονομίας διωρίσθη καὶ δεσποτείας,* [*καὶ*[3])] *ὅτι φύσει μέν ἐστιν ὁ ἄνθρωπος ζῷον πολιτικόν.* Hoc enuntiato sententia nostra librum primum nondum ab ipso Aristotele toti operi adiunctum esse plane refutari videtur. Sed accuratius inquisituri id nostrae opinioni non modo non repugnare, immo praesidio esse videbimus. Statuamus interim formam enuntiati nobis traditam esse genuinam. Quod si ita est, tum certe mirum est, quod hic *περὶ οἰκονομίας* *καὶ* *δεσποτείας* dicitur. Hoc parum accuratum certe est neque cum illis, quae libr. I. exponuntur, concordat. Nam ibi *δεσποτικὴ* expresse pars est *οἰκονομίας*, cui pares sunt ceterae *οἰκονομίας* partes: *γαμικὴ* et *πατρική*. (cfr. inprimis 1259ª 37: *τρία μέρη τῆς οἰκονομικῆς .... ἓν μὲν δεσποτική, ἓν δὲ πατρική, τρίτον δὲ γαμική.*) Itaque libro I. non actum *περὶ οἰκονομίας* *καὶ* *δεσποτείας*, sed *περὶ οἰκονομίας*, cuius *δεσποτεία* pars est, aut simpliciter *περὶ δεσποτείας*. Quare nisi levem et parum accuratam Aristotelis citandi rationem statuere velimus, illud *καὶ δεσποτείας* ut posterioris alicuius additamentum,[4]) quo *οἰκονομίας* explicare voluit, includere debe-

---

1) Cfr. Sus.₂ adn. 69 ad. l. I. c. III. 2.

2) *καὶ* deest in *Γ*, *Mˢ*, *P*²·³· Ald. pr. *P*⁴.

3) *καὶ* deest in *Γ* Bekk. Haec duo *καί*, quamquam ipsa per se non falsa esse concedo, cum ad sensum parum conferant, immo non apte congruant, potius includam.

4 Fortasse aliquis *οἰκονομίας* vocabulo superscripserat *δεσποτείας*, alius

mus. Sed ne illud πρώτοις[1]) quidem ante λόγοις positum Aristotelium esse potest. Hoc sequitur e loco posteriore lib. III. cap. XII. 1 = 1288^a 37 sq.: ἐν δὲ τοῖς πρώτοις ἐδείχθη λόγοις, ὅτι τὴν αὐτὴν ἀναγκαῖον ἀνδρὸς ἀρετὴν καὶ πολίτου κ.τ.λ., quod πρώτους λόγους referendum est ad libr. III. c. II -IV. 1 = 1276^b 15—1278^b 15. Hoc igitur loco verba ἐν τοῖς πρώτοις λόγοις, quae illis κατὰ τοὺς πρώτους λόγους simillima esse nemo negabit, „initio huius disputationis" i. e. „initio libri III." significant. Illud autem κατὰ τοὺς πρώτους λόγους significet „in primo libro"? At eundem auctorem in eodem opere verbis forma simillimis, re iisdem, diversas duas res (hic librum I., illic librum tertium) idque spatio tam exiguo interiecto exprimere posse quis credit? Atqui locus cap. XII. 1. nullam affert dubitationem neque vi non adhibita removeri potest, immo optime ad totam convenit expositionem, quare illum locum certe mutare non poterimus. Ergo hoc πρώτους cap. IV. 2^b rectum esse non potest.[2])

Lenissimum igitur remedium sit, illud πρώτους ut additamentum grammatici alicuius, qui adiecto vobabulo πρώτους ad librum I. lectores remittere vellet, qui liber ipsi iam primum totius politicorum pragmatiae volumen erat, delere, ut locus, omisso καὶ δεσποτείας et ipso suspecto, sic se habeat: „εἴρηται δὲ καὶ κατὰ τοὺς λόγους, ἐν οἷς περὶ οἰκονομίας ἐδείχθη"[3]) i. e. „hoc dictum est, in illa, quam de oeconomia scripsimus, commentatione." Citat igitur Aristoteles ipse primum politicorum nostrorum librum „λόγοι περὶ οἰκονομίας, quae quidem inscriptio optime conveniat, nostrae autem de libro I. sententiae aptissimo sit documento, sicuti e. gr. metaphysicorum quoque librum V. peculiarem primo fuisse dissertationem ea demonstratur re, quod ab ipso Aristotele „τὰ περὶ τοῦ ποσαχῶς" citatur.

---

posterior, qui verba sic non intellexit, καὶ addidit et δεσποτείας in contextum recepit.

1) Iterum occurrit nobis illud ἐν τοῖς πρώτοις λόγοις l. VII. c. III. 2 = 1325^a 31. Sed ibi quoque suspectum et ab Aristotele alienum esse infra pag. 27 sq. monstrabitur.

2) Cfr. et pagin. 27 et sq.

3) An simplicius: „κατὰ τοὺς περὶ οἰκονομίας λόγους." ?

Cap. V. § 8 = 1280ª 18: καθάπερ εἴρηται πρότερον ἐν τοῖς ἠθικοῖς = V, 3 (6 Bekk.). Hoc de loco idem dicendum, quod supra pag. 11 ad libr. II. cap. I. 4. 4 = 1261ª 31 exposuimus.[1])

Cap. V. 10 = 1280ª 30 sq. Quod hic tam copiose explanatum est homines non solum τοῦ ζῆν ἕνεκεν, sed τοῦ εὖ ζῆν ἕνεκεν civitatem constituere, quod idem iam libro I. amplissime tractatum est, hoc mihi eo magis documento esse videtur librum I. antea peculiarem fuisse, cum hoc loco ne uno quidem verbo ad illam libri I. expositionem idem tractantem relegetur.

Cap. VI. 4 = 1281ª 39: περὶ μὲν οὖν τῶν ἄλλων ἕτερος ἔστω λόγος non ad libros IV. et VI., sed potius ad cap. VII- XI. referendum equidem existimo.

Cap. VII et VIII. Bernaysius „Übers." pag. 122 adn. „geradezu eine andere Redaction von cap. V. § 8—cap. VI. z. E. 11. 12." declarat. Susemihlius$_2$, qui Einleit. pag. 37—39 eam rem copiose tractat, ita concludit: „Haben wir also wirklich zwei Bearbeitungen desselben Stoffes vor uns, so liegt die ältere unvollständig erhaltene, unvollkommene in Cap. 7. 8., die spätere nicht zu Ende geführte Umarbeitung in Cap. 5 § 8 — Cap. 6 z. E. vor." Tum autem, ut Susemihlius l. c. pag. 37 recte dicit, Cap. 7 § 6 = 1283ª 26 „καθάπερ εἴρηται καὶ πρότερον („als lose Zuthat") delendum esset. Sed omnis ea conclusio valde dubia mihi videtur; certe autem cap. VII. § 7 = 1283ª 26—42 tam directe ad Cap. V § 8 1280ª 7—17 referendum est, ut nihil aliud statuere possimus, nisi hanc partem tum demum scriptam et insertam esse, cum cap. V § 8 et cap. VI. in fin. iam praecederent. Sed utcunque ea res se habet, optime illustratur illa, quam imperfecta, incerta totius operis compositio fuerit et qua ratione, is qui primum pragmatiam edidit, extrinsecus saltem singula conectere summis viribus studuerit. Singulas autem disputationes, ex quibus tota librorum II—VIII. composita est commentationum series, si restituere velis, non

---

1) Ceterum hoc quoque loco illud πρότερον, quod ibi a Heitzio suspectum habitum est, certe defenditur. —

ad librorum singulorum terminos tantum recurrendum sit. Immo intra ipsos libros aptos dividendi locos invenias.

Sic cap. IX. § 1 = 1284ᵇ 35 idoneum praebet eius rei argumentum. Ibi enim diserte illa „περὶ πολιτείας“ concluditur disputatio et expresse ea, quae „περὶ βασιλείας“ sequitur commentatio, introducitur: „μετὰ τοὺς εἰρημένους λόγους μεταβῆναι καὶ σκέψασθαι περὶ βασιλείας.“ [1]) Hanc autem de regno dissertationem non illam esse, quae in vita Ammonii quae dicitur (pag. 48 Buhle.) his verbis commemoratur: τῷ δὲ Ἀλεξάνδρῳ καὶ περὶ βασιλείας ἐν ἑνὶ μονοβίβλῳ [2]) παιδεύων, ὅπως δεῖ βασιλεύειν, iam ex ipsis verbis patet. Nam hoc libro aperte regi i. e. Alexandro praecepta dabat, quomodo esset regnandum. Erat igitur λόγος παραινετικός, cum noster θεωρητικός sit (cfr. Cic. ep. ad Attic. XII. 40. 2: Συμβουλευτικὸν saepe conor ...... et quidem mecum habeo et Ἀριστοτέλους et Θεοπόμπου πρὸς Ἀλέξανδρον.“ Ioann. Philopon. (Vit. Marc. pag. 5 Robbe): γράφει τῷ Ἀλεξάνδρῳ βιβλίον περὶ βασιλείας διδάσκων ὅπως βασιλευτέον. Plut. „de Alexandri fort. aut virt. I. c. 6 ..... „ὡς Ἀριστοτέλης συνεβούλευεν αὐτῷ (sc. Alexandro) τοῖς μὲν Ἕλλησιν ἡγεμονικῶς, τοῖς δὲ βαρβάροις δεσποτικῶς χρώμενος κ.τ.λ. Strabon I. pag. 66 .... Ἀλεξάνδρῳ παραινοῦντας τοῖς μὲν Ἕλλησιν ὡς φίλοις, τοῖς δὲ βαρβάροις ὡς πολεμίοις χρῆσθαι). [3]) Quibus omnibus locis illam dissertationem vel epistolam ab hac politicorum parte valde differre satis apparet.

Cap. X. § 3 = 1286ᵃ 2—5: τὸ περὶ τοιαύτης στρατηγίας ἐπισκοπεῖν, νόμων ἔχει μᾶλλον εἶδος ἢ πολιτείας („gehört mehr in eine Betrachtung der Gesetze, als der Verfassung“ Sus.₂ vertit), cap. XI § 1 1287ᵃ 4 verbis: „καθάπερ εἴπομεν“ citatur. Quam crebra post tam exiguum intervallum citatio! Eo magis mirum est, quod cap. XI. 10 = 1287ᵇ 37 sq. („ἔστι γάρ τι φύσει

---

1) Quam apta editori concludendi et exordiendi occasio, si quidem non spatii potissimum ratione ductus esset!

2) Cfr. ind. Diogen. 18: περὶ βασιλείας α, ind. Anon. Menag. (Didot) 16. περὶ βασιλείας α; Ptol. Chenn. 7: περὶ βασιλείας ς', cuius numeri diversitas aliquam affert dubitationem.

3) Aristotelis Fragm. coll. Heitz. (Didot. Paris 1869) pag. 59 et 60. Cfr. etiam: Bernays „die Dialoge des Aristoteles“ pag. 154.

δεσποτικὸν καὶ ἄλλο βασιλικὸν καὶ ἄλλο πολιτικὸν“) librum primum laudatum non invenimus. Atqui ibi libr. I. cap. I. § 2 = 1252ᵃ 8 sq. expresse eisdem fere verbis de hac differentia agitur: „*ὅσοι μὲν οὖν οἴονται πολιτικὸν καὶ βασιλικὸν καὶ δεσποτικὸν* [*εἶναι*] *τὸν αὐτὸν οὐ καλῶς λέγουσιν κ.τ.λ.* Ergo proximum fuit hoc loco lectorem illuc remittere. Hoc quod praeter consuetudinem suam hic omisit, ipsi Aristoteli librum I. nondum politicorum exordium fuisse documento est.

Cap. XII. § 1 = 1288ᵃ 30 diserte illa *περὶ βασιλείας* commentatio concluditur his verbis: *περὶ μὲν οὖν βασιλείας* ..... *διωρίσθω τοῦτον τὸν τρόπον.* Ultimis autem huius capitis verbis *διωρισμένων δὲ τούτων περὶ τῆς πολιτείας ἤδη πειρατέον τῆς ἀρίστης τίνα πέφυκε γίνεσθαι τρόπον καὶ καθίστασθαι πῶς* ille, qui primus librorum divisionem instituit, aptam libri concludendi occasionem nactus erat, praesertim cum hic unius forte voluminis spatium satis completum esset. Eisdem autem directe ad VII. (IV.) librum relegamur. Verbis enim, quae in codicibus in fine libri III. leguntur: *ἀνάγκη δὲ τὸν μέλλοντα περὶ αὐτῆς ποιήσασθαι τὴν προσήκουσαν σκέψιν* .... aperte idem dicitur, quod verbis in exordio VII (IV.) positis: „*περὶ πολιτείας ἀρίστης τὸν μέλλοντα ποιήσασθαι τὴν προσήκουσαν ζήτησιν ἀνάγκη διορίσασθαι κ.τ.λ.*“ Illi igitur, qui librum VII. proxime post III. ponendum iudicant, haec verba nihil aliud esse nisi varias eiusdem sententiae enuntiationes consentiunt. Sed quomodo explicent aut omnino loco medeantur, discordant. Bekk. 2 conclusionem libri III. subito abruptam penitus delevit. Sus.₂, qui initio libri VII. (IV.) duo enuntiata, unum iuxta alterum, ponit, utrum magis genuinum existimandum sit, non diiudicat.[1]) Cohaeret autem haec difficultas certe cum illa de libris transponendis quaestione, de qua quid homines docti adhuc iudicaverint atque quid ipsi sentiamus, supra (p. I. pag. 36) accuratius exposuimus. Quare hic lectorem illuc remittere liceat. Nunc autem, quid ea de re hoc inprimis loco conici possit, videamus.

1) L. c. p. I. pag. 372 adnot. 3: ......, welche von beiden Fassungen die ursprünglichere ist, steht sehr dahin.

Sequamur interim illos, qui librum VII. proxime post III. ponendum iudicent. Tunc sic res explicari possit: Is, qui primus libros divisit, spatii ratione coactus post verba *ἀνάγκη δὲ τὸν μέλλοντα περὶ αὐτῆς ποιήσασθαι τὴν προσήκουσαν σκέψιν,* (*διορίσασθαι πρότερον τίς αἱρετώτατος βίος*. [Tale quid sine dubio ad *ἀνάγκη* supplendum est; ego simpliciter verba ex initio libri VII. deprompsi, quod, qualia re vera fuerint, nihil refert]) finem tertii libri facere constituit. Deinde, ut aptum sequentis voluminis haberet exordium, verba ipsa paulum immutata et transformata, ad sensum vero aequalia, item in initio proximi libri posuit.[1]) Haec repetitio tolerari poterat, quamdiu duo libri separata duo volumina erant; cum autem postea singula volumina in continuos transcripta essent codices, librarii posteriores talem eorundem terme enuntiatorum geminationem non iam intellexerunt: ita factum est, ut verba in fine libri III. posita, quamquam non delerentur, tamen mutilarentur mutilataque nobis traderentur. Certe autem ea geminatione librorum dividendorum ratio optime illustratur, atque ea ipsa res libro VII. proxime post III. transponendo maximo mihi documento esse videtur. Ceterum liceat hoc loco, quid Birtius de eadem re l. c. pag. 145 dicat, monere: „Ein praktisches, wenn gleich unscheinbares Mittel gab es, dem Gedächtnisse des Lesers, der von einer Rolle zur anderen überging, in etwas nachzuhelfen. Man trug Sorge, dass der Schlusssatz eines Buches zu Anfang des folgenden einfach noch einmal geschrieben wurde, entweder genau übereinstimmend oder in leichter Verwandlung; es sind meist Sätzchen, die einen Übergang ausdrücken; so heisst es nach dem Zeugnis der besten Handschriften bei Strabo III. fin.: „*καὶ περὶ μὲν Ἰβηρίας καὶ τῶν προκειμένων νήσων ταῦτα, ἐφεξῆς δ' ἐστὶν ἡ ὑπὲρ τῶν Ἄλπεων Κελτική* und IV. beginnt *ἐφεξῆς δ' ἐστὶν ἡ ὑπὲρ τῶν Ἄλπεων Κελτική* etc.“ — Nonne haec optime ad hos quoque politicorum locos conveniunt? Ceterum apte conferri h. l. posse mihi videtur Ethic. Nicom. fin. libr. VII.

1) Finis igitur libri III. erat fere talis: *Ἀνάγκη δὲ τὸν μέλλοντα* etc. . . . . . *διορίσασθαι πρότερον τίς αἱρετώτατος βίος·* Exordium vero libri VII (IV.). *Περὶ πολιτείας τὸν μέλλοντα ποιήσασθαι τὴν προσήκουσαν ζήτησιν, ἀνάγκη διορίσασθαι πρότερον τίς αἱρετώτατος βίος.*

„*περὶ μὲν οὖν ἐγκρατείας καὶ ἀκρασίας* ..... *εἴρηται, λοιπὸν δὲ καὶ περὶ φιλίας ἐροῦμεν*; et init. libr. VIII. *Μετὰ δὲ ταῦτα περὶ φιλίας ἕποιτ' ἂν διελθεῖν.* [1]) Sic mira certe illa eiusdem ferme in fin. III. et init. VII. (IV.) l. enuntiati repetitio aptissime explicatur [2]) simulque libris ex Spengelii ceterorumque sententia transponendis novum et haud spernendum documentum praeberi videtur. Nunc autem novum secuti ordinem VII. tractemus librum.

De libro VII. (IV.).

Agitur hoc libro de optima reipublicae forma; cap. I—III. disseritur de vita beata, quae quidem finis reipublicae optime institutae sit, deinde a cap. IV. usque ad finem libri ipsa reipublicae optimae institutio describitur, quae descriptio insequenti libro continuatur.

De libri initio modo egimus; nunc vero singulos locos, qui ad nostram quaestionem alicuius momenti esse videntur, accuratius inspiciamus.

Cap. II. § 9 = 1324^b 36 sq. legimus: *εἰ μὴ φύσει τὸ μὲν δεσποστόν ἐστι τὸ δὲ οὐ δεσποστόν κ.τ.λ.* Hoc accurate expositum libro I., inprimis 1254^a 13—1255^b 20. [3]) Nescio an Aristoteles hoc loco illius libri I. dissertationis expresse moniturus fuerit, si ipse iam hunc librum cum toto opere coniunxisset

Cap. II. § 2. – cap. IV. § 1: 1324^a 13 – 1325^b 35 Susemihlius uncinis includit et interpolatori alicui attribuit. Et profecto causis, quas adn. 712—748 inprimisque adn 749 profert, gravissimis, ut eius sententiae accedam, moveri me profiteor. Sed alia quoque ratione idem statuere cogor. Nam ille interpolator politica habebat, in quibus liber I. iam ad reliquum corpus adiunctus erat. Quod ab Aristotele factum esse supra (vid. inprimis pag. 21 sq.) non levibus negavimus argumentis. Eisdem

1) Cfr. illa, quae I. p. 30 et seq. exposuimus.

2) Certe haec explicatio multo simplicior ob eamque rem fortasse verior est, quam Hildenbrandii l. c. pag. 370 sq. proposita, quae ut acutissima et ingeniosissima, ita nimis artificiosa est, quam ut verisimilis sit.

3) Cfr. 1255^a 1 sq.: *ὅτι μὲν τοίνυν εἰσὶ φύσει τινὲς οἱ μὲν ἐλεύθεροι, οἱ δὲ δοῦλοι φανερόν, οἷς καὶ συμφέρει τὸ δουλεύειν κ.τ.λ.* —

autem illud διώρισται δὲ περὶ αὐτῶν ἱκανῶς ἐν τοῖς πρώτοις λόγοις 1325a 30 ab Aristotele alienum esse iudicare debemus. Nam ἐν τ. πρώτοις λόγοις „in primo libro“ significare non posse supra (pag. 21 sq.) copiose demonstravimus.

Immo interpolatoris manu additum est, qui hac dissertationis περὶ οἰκονομίας laudatione, quae commentatio sibi liber I. politicorum esset, et additamentum suum firmare et coniunctionem libri I. cum ceteris extrinsecus saltem arctiorem reddere studuit. Idem ferme existimandum de cap. IV. § 1 = 1325b 34 verbis: καὶ περὶ τὰς ἄλλας πολιτείας ἡμῖν τεθεώρηται πρότερον, quibus, postquam πεφροιμίασται τὰ νῦν εἰρημένα περὶ αὐτῶν praecessit, non modo sententiarum conexus interrumpitur, sed etiam parum apte libr. VII. post IV. ponendum demonstrari videtur. Quare Spengelius primum haec verba inclusit.[1]) Hildenbrandius l. c. pag. 363 sq. et Teichmüller (Philolog. XVI pag. 164 sq.) verba ad librum II. referre volunt, quos Spengelius postea secutus est; sed immerito; nam verba ne sic quidem tolerabilia sunt. Rectissime ergo Susemihlius hac de re adn. 749 dicit: „Ganz anders gestaltet sich die Sache, wenn C. 2. 3. einem Interpolator angehören und folglich auch von C. 4 § 1 eben derselbe Mann der Urheber ist. Wir haben dann eben nur diese neue Ungeschicklichkeit als ein ferneres Anzeichen auf sein Sündenregister zu setzen.“ — Neque vero inscitiae, sed considerato hoc tribuere velim consilio firmandi et ut Aristotelia comprobandi et coniunctionem librorum et ordinem a posterioribus grammaticis institutum, si non re et sententiarum conexu, at certe prolationibus et remissionibus quamvis extrinsecus appositis.

Cap. XII. § 3 = 1332a 8 φαμὲν δὲ καὶ διωρίσμεθα ἐν τοῖς ἠθικοῖς et cap. XII § 4 = 1332a 21—22 καὶ γὰρ τοῦτο διώρισται κατὰ τοὺς ἠθικοὺς λόγους ethica Nicomachea citantur, quibus de locis idem dicendum, quod supra pag. 11 exposuimus.

Cap. XIII. § 21—22 = 1334b 30 sq. ad novam disputationis partem transit. Agitur enim nunc de educatione liberorum. Haec commentatio omnino peculiaris primo dissertationis

1) Spengel: „Über die Aristotelische Politik“ pag. 26 et sq.

speciem prae se fert.[1]) Hac autem novum incohare librum certe aptius fuisset, si quidem editores non spatii maxime ratione ducti essent.

Cap. XIV. § 8 = 1335^b 5: ἐπιστήσασι μὲν μᾶλλον λεκτέον ἐν τοῖς περὶ τῆς παιδονομίας [*Γ*, *M*^{s} et *P*^{1} praebent παιδείας, sed, ut opinor, falso; nam de παιδείᾳ tota hac commentatione agitur, cuius pars est παιδονομία, de qua infra diligentius se disputaturum promittit.]. Hoc loco nos ad perditam quandam libri VIII. partem remitti mihi quidem verisimillimum est.

Nam haud pauca eius libri perisse postea spatii quoque ratione habita demonstrare conabimur. Ad opus quoddam peculiare hoc loco nos relegari vix credendum, quod ad hoc ἐπιστήσασι μᾶλλον vix conveniat. Quae autem IV. (VI.) 12,6 = 1322^b 39 sq. breviter de hac re monet, hac referre ob id ipsum ἐπιστήσασι μᾶλλον vetamur.[2])

Cap. XV § 9^b = 1336^b 24—27: νῦν μὲν οὖν ἐν παραδρομῇ τούτων πεποιήμεθα τὸν λόγον, ὕστερον δ' ἐπιστήσαντες δεῖ διορίσαι μᾶλλον .... Ne haec quidem in nostris politicis exstant. Hoc quoque loco illud ἐπιστήσαντες μᾶλλον docet ea, quae perierunt, non pauca fuisse.

Cap. XV. § 11 = 1337^a 2 sq.[3]) media in commentatione de παιδείᾳ parum apte liber concluditur, qui ad rem, ut paulo supra monuimus, cap. XIII. § 21 multo melius finiri potuit. Sed spatii tantum ratione ductum editorem hic librorum divisionem instituisse quis non videt? Iam enim consuetum voluminis spatium hic liber compleverat (continet in edit. Bekk. sicut liber II. et III. 14 paginas; cfr. supra p. I. pag. 34); ergo concludendus erat, etsi ipso sententiarum conexu ea conclusio vix desiderabatur.

---

1) Fortasse huc referendum est Diogen. Laert. ind. 19: περὶ παιδείας α. Hesych. vel An. Menag. ind. 18 περὶ παιδείας ἢ παιδευτικὸν α (Ptolem. Ch. 4. περὶ παιδείας δ' ?). Quae inscriptio etiamsi ad dialogum pertinet, tamen sententiae, fortasse etiam verba huius commentationis ex illo dialogo repetita esse possunt.

2) Cfr. Sus.$_2$ Einl. pag. 47 et 51 sq. et adnot. 969. —

3) Verba πρῶτον μὲν οὖν ...... ποίαν τινὰ δεῖ ταύτην cum Spengelio et Susemihlio in exordio libri VIII (V.) ponenda existimo.

De libro VIII. (V.).

Ut liber praecedens media in dissertatione de παιδείᾳ concluditur, ita hic liber proprium non habet exordium. Editor ille, qui libros primo divisit, cum aliud partiendi adminiculum non inveniret, fortasse propter verba πρῶτον μὲν οὖν σκεπτέον κ.τ.λ. hic inprimis librum exorsus est.

Sed haec ipsa verba in mediis quoque libris haud raro reperiri non mirum (cfr. e. gr. l. VII. 1329b 40 sq. περὶ δὲ διανομῆς λεκτέον πρῶτον, l. III. 1280a 7 ληπτέον δὲ πρῶτον τίνας ..... et sic saepissime).

Cap. III. § 1 = 1338a 31 sq.: πότερον δὲ μία τῷ ἀριθμῷ ἢ πλείους ..... ὕστερον λεκτέον περὶ αὐτῶν. Illud ὕστερον in nostris politicis non iam invenitur, quare, quantum perierit, hoc quoque demonstratur loco

Cap. IV. § 3 sq. = 1339a 11 sq. — fin. libr. agitur de musica, quatenus ad liberos educandos valeat. Ea autem de musica disputatio tam copiosa — praesertim cum in fine libri non pauca desiderari appareat — tam accurata, tam diligens est, ut hic inprimis in eam deducamur cogitationem peculiaris de musica commentationis hanc dissertationem primo partem fuisse. Nam quis in opere de republica tam large de una musica disputabit, cum aliae res ad rempublicam multo graviores desiderentur vel obiter tractentur? Hoc facillime explicatur, si statuimus Aristotelem singularem de musica disputationem antea scripsisse, cuius eam partem, qua de musica agitur et, quantam ad educandos liberos habeat vim, exponitur, hic inseruit neque, ut totum opus imperfectum est et parum politum, immutavit vel ceterarum dissertationum magnitudini accommodavit. Vestigium autem illius separatae de musica commentationis habemus in indice Diogen. 132: περὶ μουσικῆς α, Hesych. (An. Men.) 124 περὶ μουσικῆς α. [1])

1) Desideratur haec inscriptio in ind. Ptolem. Chenn., quae utrum librariorum neglegentia hic perierit, an ob eam causam non inveniatur, quod Andronicus hanc separatam de musica commentationem non iam novit, haud discernam. — De sententiis Aristotelis de musica hac in disputatione expositis agit: Ant. Fr. Walter: „Die ethisch-paedagogische Würdigung der Musik durch Plato und Aristoteles.“

Cap. VII. § 3 = 1341b 27 sq. νομίσαντες οὖν πολλὰ καλῶς λέγειν περὶ τούτων τῶν τε νῦν μουσικῶν ἐνίους καὶ τῶν ἐκ φιλοσοφίας ὅσοι τυγχάνουσιν ἐμπείρως ἔχοντες τῆς περὶ τὴν μουσικὴν παιδείας, τὴν μὲν καθ' ἕκαστον ἀκριβολογίαν ἀποδώσομεν ζητεῖν τοῖς βουλομένοις παρ' ἐκείνων, νῦν δὲ νομικῶς διέλωμεν, τοὺς τύπους μόνον εἰπόντες περὶ αὐτῶν. Hoc ex loco neutiquam contrarium nostrae sententiae documentum repeti potest. Immo Aristoteles hoc loco nihil aliud nisi musicam suam ipsius provinciam esse negat, quare illos, qui accuratius etiam, quam hac in commentatione fiat, ea institui velint, ad eos relegat, qui in ipsa musica versantur.

Cap. VII. § 4 = 1341b 39,40: πάλιν δ' ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς ἐροῦμεν σαφέστερον ... Hoc loco, siquidem ad eam, quam nunc habemus, poeticam referendus est, demonstratur hanc de musica disputationem, neutiquam tota politica ante „poeticam" scripta esse. Ceterum, quod hic promittitur, cum in nostra poëtica non inveniatur, quam manca haec tradita sit, evincitur. Nam locum cum Heitzio ad partem aliquam politicorum nobis deperditam referre ob id ipsum vetamur, quod, si omnino in politicis de poetica agere voluisset, hic certe aptissimum fuit; sed illud σαφέστερον ipsum nos ad peculiarem de poëtica commentationem relegari demonstrat.

Cap. VII § 11 = 1342b 34 liber VIII. lacuna interrumpitur. Quantum autem perierit, et ex multitudine quaestionum, quae hic etiam tractandae erant, et ex paginarum, quas liber truncus continet, numero aliquo modo conici potest. Nam ex comparatione singulorum librorum (cfr. supra p. I. pag. 34) hoc elucet paene dimidiam voluminis partem hic perisse. Decem enim vel duodecim ed. Bekk. paginae unum circiter volumen complevisse videntur, liber autem VIII. noster sex continetur paginis. [1])

Separ.-Abdr. aus der Vierteljahrsschr. f. Mus.-Wissensch. VI. Jahrg. 1890 H. 3., inprimis pag. 401 et sq. —

1) Cfr. quoque pag. 39.

De libro IV. (VI.).

Agitur hoc libro de oligarchia, democratia, politia propria, tyrannide; deinde, quaenam reipublicae institutio aptissima sit, inquiritur usque ad cap. XI. (1297^b 35).

Tum nonnulla de magistratibus disseruntur usque ad finem libri: 1301^a 15.

Incipit liber sine exordio proprio, quare statim ad singulos locos inspiciendos transeamus.

Cap. II. § 1 = 1289^a 26 sq.: *ἐπειδὴ δὲ ἐν τῇ πρώτῃ μεθόδῳ τῶν πολιτειῶν διειλόμεθα τρεῖς μὲν τὰς ὀρθὰς πολιτείας βασιλείαν, ἀριστοκρατίαν, πολιτείαν .... καὶ πότε δεῖ βασιλείαν νομίζειν, διώρισται πρότερον.* Remittimur hoc loco ad libr. III. 5. 1 = 1279^a 25 sq.: qua ex re demonstratur librum III. et sequentes iam ab ipso Aristotele cum hoc libro coniunctos esse; sed ipso *πρώτῃ μεθόδῳ* vocabulo quod ad III. librum referendum est, illud colligi potest primo librum III. exordium totius de republica commentationis fuisse, cum liber II. postea demum ab Aristotele addi coeptus, liber I. autem ipse per se peculiaris disputatio sit.

Cap. III. = 1289^b 27 - 1291^b 15 Susemihlius interpolatoris additamentum iudicat et uncinis includit.

Et profecto adnot.: 1147, 1149, 1154, 1155, 1160, 1161, 1164, 1167, 1169, 1172, 1176, 1182, 1185, 1192, 1193 tot et tam graves offensiones, quae in hac dissertationis parte occurrant, profert, ut facere fere non possimus, quin ei assentiamur.

Atque illud quidem, ut adn. 1145 recte monet, mirum est totam eam expositionem ut novam quandam induci, cum ea, quae l. III. cap. IV. copiose disseruerit, parum respiciat. Deinde multae repugnantiae et contradictiones horum locorum et illorum (libr. III.) tractantur. Multa obscura quoque et parum accurata videntur. Quae omnia satis causae esse, cur totam eam partem Aristoteli abiudicemus, libenter concedo.

Sed alia fortasse via ingredienda est, ut et has difficultates apte explicemus et tamen totam hanc expositionem Aristoteli tribuere possimus. Atque, ut illud, quod minimi momenti esse videtur, prius aggrediamur, quod Susemihlius multa in hac

commentatione obscura et parum accurata esse dicit, considerandum est multa nos hodie, cum de rebus publicis multifariam aliter ac veteres sentiamus, absurda atque incongrua censere, quae eadem illius aetatis hominibus talia non visa sint. Manent autem illae cum libro III. discrepantiae imprimisque haec offensio, quod illius libri dissertatio omnino neglecta et hic eadem materia quasi denuo tractata et exposita est. Sed, si ceterarum politicorum partium et librorum statum contemplabimur, haec omnia non adeo mira erunt. Immo commentatio aliqua esse videtur, quae scripta et perfecta fuerat, priusquam liber tertius compositus aut cum toto opere coniunctus esset. Hanc autem commentationem, quae et illam libri III. expositionem nondum respiceret et complures cum sententiis postea a philosopho prolatis contineret repugnantias, delere vel toti operi adaptare Aristoteles morte impeditus est.

Editor et *πραγματείας* compositor invenit eam et hoc loco inseruit et fortasse singula ipse addidit, ut hoc quoque Susemihlio concedamus. Sic et offensiones et contradictiones satis explicantur neque tamen tota haec libri IV. pars Aristoteli abiudicatur.

Cap. V. § 10 = 1293^{b} 2, 3: *Ἀριστοκρατίαν μὲν οὖν καλῶς ἔχει καλεῖν περὶ ἧς διήλθομεν ἐν τοῖς πρώτοις λόγοις* referendum est ad VII et VIII (IV et V.) libros, qui sine dubio hunc librum praecesserunt.[1] Ut igitur his verbis libros VII et VIII recte ante IV. ponendos esse demonstratur, ita illud ex illis conici potest hos libros, cum haec scriberentur, initium totius „*περὶ πολιτείας*“ commentationis fuisse; neque enim aliter eos primos libros (*πρώτους λόγους*) apellare potuisset. Novo igitur argumento firmatur sententia nostra I. librum[2]) et fortasse II. quoque nondum cum reliquis coniunctum fuisse, quamquam libr. II. iam ab ipso Aristotele addi coeptum esse concedimus. — Idem demonstratur cap. VIII. § 1 = 1295^{a} 4 sq. *περὶ μὲν οὖν βασιλείας διωρίσαμεν ἐν τοῖς πρώτοις λόγοις.* Hoc quoque loco

1) Cfr. Vogel l. c. pag. 111 hoc de loco: „non ad tertium librum, sed ad tertium et octavum Aristotelem ipsum nos remittere statuo.“

2) Cfr. pag. 21 et 22 sq.

illud ἐν τοῖς πρώτοις λόγοις initium disputationis i. e. librum III. significat.

Cap. IX. § 2b = 1296a 5, 6: Τὴν δ' αἰτίαν ὕστερον ἐν τοῖς περὶ τὰς μεταβολὰς τῶν πολιτειῶν ἐροῦμεν. Hoc loco demonstrari videtur iam ab ipso Aristotele libr. V. (VIII.) cum ceteris coniunctum esse. Sed cum hic liber, ut paulo infra accuratius exponemus, ipse per se propriam efficiat disputationem et alia coniunctionis cum reliquis nulla praebeat vestigia, metuo, ne haec citatio ut editoris additamentum[1]) includenda sit. Nam facile et sine ulla vi, nec sensu nec structura laedendis, amoveri potest. Sed cui nimis audacter hoc facere videbimur, ei libenter reliquum enuntiatum ita concedimus, ut ὕστερον solum vocabulum includamus. Tum Aristoteles ipse nobis pollicetur „se hanc causam in dissertatione aliqua de rerum publicarum mutationibus esse tractaturum" sicque, ut alias saepe, sui ipsius aliquam posteriorem laudat commentationem. Neutiquam ex his verbis id concludi necesse est eiusdem operis aliquam partem hic significari. Ceterum futuri ἐροῦμεν in εἴρηται praeteritum mutatio ex illa causa, quam infra pag. 36 copiosius exponemus, nullo modo nimis violenta sit. Sed ne futuri quidem forma servata nostra refellatur sententia.

Cap. XI. § 1 = 1297b 35 ad singulos magistratus transit disputatio, quae cap. XIII § 4b = 1301a 15 sine ulla causa libri conclusione interrumpitur. Priore autem loco (Cap. XI) librum concludere multo aptius fuisse quis non videt? At, ut iam saepius monuimus, voluminis tantum spatio respecto pragmatiae compositor librorum divisionem instituit. Cap. XIII. § 4b autem spatium voluminis circiter erat expletum,[2]) ergo conclusit librum sententiae et disputationis conexus ratione nulla habita.

---

1) Qualis finis eius additamenti fuerit, postea pag. 36 sq. copiosius dissexetur.

2) Continet liber IV. paginas 12, id quod ad numerum solitum ceterorum quoque voluminum circiter convenit. (cfr. p. I. pag. 36, 37.)

De libro VI. (VII.).

Continuatur hoc libro praecedentis libri disputatio, cum de diversis generibus democratiae et oligarchiae agatur, deinde cap. V. 1321^b 3 sq. de variis magistratibus disseratur. In fine autem libri, ut infra diligentius exponemus, lacuna haud parva statuenda est.

Cap. I § 1 = 1316^b 31 sq.: *Πόσαι μὲν οὖν διαφοραὶ καὶ τίνες τοῦ τε βουλευτικοῦ καὶ κυρίου τῆς πολιτείας καὶ τῆς περὶ τὰς ἀρχὰς τάξεως, καὶ περὶ δικαστηρίων, καὶ ποῖα πρὸς ποίαν συντέτακται πολιτείαν, [ἔτι δὲ περὶ φθορᾶς τε καὶ σωτηρίας τῶν πολιτειῶν ἐκ ποίων τε γίνεται καὶ διὰ τίνας αἰτίας,] εἴρηται πρότερον.*

His verbis librum exorsus est grammaticus ille, qui librorum divisionem instituit. Nam haec verba compositori *πραγματείας*, non auctori Aristoteli esse tribuenda, quicumque accuratius examinaverit, vix negabit.

Nihil enim aliud sunt nisi praecedentis libri summa, quam in libri insequentis initio maiore cum lectoris opportunitate addere illorum Alexandrinorum moris fuisse grammaticorum supra exposuimus.[1]) Alius autem interpolator, cui iam turbatus librorum ordo notus erat, illud *ἔτι δὲ περὶ φθορᾶς . . . . . . καὶ διὰ τίνας αἰτίας* adiecit; quae verba illi incluserunt, qui librorum ordinem perturbatum restituere conabantur, veluti St. Hilaire-Barthélemy (Politique d' Aristote, tome second pag. 284 adn. 2) Bekk.^{2} Susem.$_2$ et $_3$, aliique. Fortasse tribuenda sunt eidem interpolatori, qui ethicorum conclusionem addidit, id quod ex similitudine verborum conicere velim. Legimus enim fin. eth. Nicom. *θεωρῆσαι τὰ ποῖα σώζει καὶ φθείρει τὰς πόλεις καὶ διὰ τίνας αἰτίας αἱ μὲν καλῶς αἱ δὲ τοὐναντίον πολιτεύονται;* nostro autem loco *ἔτι δὲ περὶ φθορᾶς τε καὶ σωτηρίας τῶν πολιτειῶν, ἐκ ποίων γίνεται καὶ διὰ τίνας αἰτίας.* An potius ille, qui haec verba adiecit, ethicorum conclusione usus illum interpolatorem imitatus est?

Sed, utcunque haec res se habet, utique verba *Πόσαι μὲν οὖν* usque ad *εἴρηται πρότερον* ut editoris prooemium certe super-

1) Cfr. p. I. pag. 22 et 30; Birt. l. c. pag. 465 sq. et inprimis pag. 145 sq.

vacaneum includenda sunt, ut liber verbis ἐπεὶ δὲ τετύχηκεν εἴδη πλείω δημοκρατίας κ.τ.λ. incipiat, quae haud inepte cum ultimis praecedentis libri verbis coniungi possunt.

Cap. I § 3 = 1317ª 13: εἴρηται πρότερον, sc. libro IV., quibus verbis, ut Spengelius „Üb. d. Pol. des Arist.“ pag. 34. monuit, iterum demonstratur, quam recte liber VI. proxime post IV. ponendus sit.[1]) Totius enim disputationis conexus librorum divisione inepte interrumpitur.

Idem confirmatur cap. I. § 4 = 1317ª 24 vocabulis: ἡ λεχθεῖσα πρότερον, quae ad IV. (VI.) 4; 1ᵇ 5,3 et 10,2ᵇ (Sus.₂) = 1320ᵇ 15 sq. referenda sunt.

Cap. I. § 5 = 1317ª 37 sq.: καθάπερ ἐν τοῖς περὶ τὰς φθορὰς καὶ τὰς σωτηρίας τῶν πολιτειῶν εἴρηται πρότερον. Haec verba iam pridem ab eis tractata sunt, qui libros transponendos censebant, atque id quidem aliter ab alio. Spengelius εἴρηται in ἐροῦμεν mutare vult; sed si verba ipsa genuina essent, metuo, ne haec intolerabilis violentia esset, quamquam Susemihlius (cfr. Sus.₂ pag. 638 adn.₃ „vielleicht mit Recht“ et Susem.₃ pag. 226, 38: „..... ἐροῦμεν ὕστερον, Spengelius: nescio an rectius“) hanc rationem probare videtur. Bekk.² verba καθάπερ .... πρότερον uncinis includit hac in re St. Barthelemium secutus, qui in editione sua ad h. l. tom. II. pag. 289 adn. dicit: „Je déclare donc encore interpolés ces mots: καθάπερ ἐν τοῖς ... πρότερον.“

Et profecto ea ratio sola recta esse mihi quidem videtur. Nam cum librorum transpositio a Spengelio et ceteris postulata et sensu ipso et aliis multis defendatur rebus, haec verba interpolata esse necesse est. Cum autem sine ulla nec sensus nec structurae grammaticae laesione amoveri possint, omnino deleantur. Nam multo verisimilius est ab aliquo posteriore, qui perturbatum iam librorum ordinem haberet, haec verba cuncta, sive glossema in margine adscripta, sive de industria et consilio ad novum confirmandum ordinem inserta esse, quam ἐροῦμεν in εἴρηται, ὕστερον in πρότερον mutata esse. Ceterum ob formae similitudinem ea eidem interpolatori tribuam, qui

1) Cfr. Susemihl.₂ adnot. 1381.

1296^a 6 illud ὕστερον ἐν τοῖς περὶ τὰς μεταβολὰς τῶν πολιτειῶν ἐροῦμεν addidit.[1]) Hic enim et illic ἐν τοῖς coniungitur cum περὶ c. acc.; τὰς μεταβολὰς hic respondet τὰς φθορὰς καὶ τὰς σωτηρίας illic. (Utroque loco pluralis numerus usitatur.) Denique utroque loco gen. plural. τῶν πολιτειῶν post substantivum ponitur.

Cap. I. § 9^b = 1317^b 34 καθάπερ εἴρηται πρότερον ἐν τῇ μεθόδῳ τῇ πρὸ ταύτης (sc. IV. 11. 9 = 1298^b 27 sq.) novum documentum praebet, ut Susemihlius Spengelium „Üb. d. Pol. d. Ar." pag. 40 et sq. secutus recte dicit, initium libri VI. proxime cum libro IV. coniungendum esse. Librorum ergo divisio, quam parum apte ibi facta sit, denuo arguitur.

Cap. II. § 1. καθάπερ ἐν τοῖς πρὸ τούτων ἐλέχθη λόγοις = lib. IV. 4,2; 5,3. (S.₂). Notabile sane videtur nos nusquam nisi ad IV. semper librum remitti.[2])

Cap. II. § 9 = 1319^b 4 sq.: ἃ δὲ φθείρειν συμβαίνει καὶ ταύτην καὶ τὰς ἄλλας πολιτείας, εἴρηται πρότερον τὰ πλεῖστα σχεδὸν non minus, quam postea cap. III. § 1 = 1319^b 37 περὶ ὧν τεθεώρηται cum St. Hil. Barth. uncinis includo[3]) et eidem interpolatori tribuo, qui his additamentis perversum quem invenerat aut instituerat librorum ordinem, aliis quoque locis firmare conatus est. Ceterum omni hac Aristotelis argumentatione potius illud demonstratur hos libros scriptos esse nulla libri V. ratione habita. Nam cap. IV. = 1320^b 16 sq. continuatur illa disputatio, qua ratione singulae πολιτεῖαι serventur (σώζονται); e. gr. cap. IV. § 3 = 1321^a 1 sq. τὰς μὲν οὖν δημοκρατίας ὅλως ἡ πολυανθρωπία σώζει .... et postea: τὴν δὲ ὀλιγαρχίαν δῆλον ὅτι τοὐναντίον .... δεῖ τυγχάνειν τῆς σωτηρίας. Quid opus fuit hic tam copiose de σωτηρίᾳ disputare, si postea totus liber περὶ σωτηρίας καὶ φθορᾶς τ. πολ. insequitur? — Aliud autem documentum VI. et V. separatim primo conscriptos neque ab ipso Aristotele coniunctos esse affertur discrepantia et contradictione duorum locorum. Legimus enim cap. IV. 5^b 1321^a 26 sq.

---

1) Cfr. pag. 34.

2) Cfr. ad h. l. St. Hil.-Barth. edit. tom. II. pag. 298.

3) Constantiae causa et ob argumenta tota hac disputatione exposita hoc quoque loco Spengelio assentiri nequeo, qui h. l. τεθεώρηται πρότερον in θεωρήσομεν ὕστερον commutet.

τὴν δὲ μετάδοσιν γίνεσθαι τῷ πλήθει τοῦ πολιτεύματος ἤτοι καθάπερ εἴρηται πρότερον, τοῖς τὸ τίμημα κτωμένοις, ἢ καθάπερ Θηβαίοις, ἀποσχομένοις χρόνον τινὰ τῶν βαναύσων ἔργων, ἢ καθάπερ ἐν Μασσαλίᾳ κρίσιν ποιουμένοις τῶν ἀξίων τῶν ἐν τῷ πολιτεύματι καὶ τῶν ἔξωθεν τῆς πόλεως.[1]) Libr. V. autem cap. V. 2 = 1305ᵇ 3 sq.: γίνεται κατάλυσις, ὅταν ὀλίγον σφόδρα ὦσιν οἱ ἐν ταῖς ἀρχαῖς, οἷον ἐν Μασσαλίᾳ ..... Contradictio duorum locorum manifesta est. Explicare autem Sus.₂ conatur eam discrepantiam adn. 1457: „Wahrscheinlich war die hier beschriebene Einrichtung erst die Folge jener Umwandlung in eine mehr der Politie sich nähernde Form.“ Acuta sane illa explicatio, sed eadem hos libros primo non coniunctos fuisse demonstratur. Nam quomodo priore loco condicionem posterioris proponere potest, cum nullis verbis id lectori ostenderit? Hic igitur, si quidem libri iam ab auctore coniuncti fuissent, relegatio et explicatio alterutrius loci sensu postulabatur multo magis, cum aliter lector discrepantiam locorum in libris proxime coniunctis positorum intellegere prorsus non posset. Sed nihil tale, quamquam necessarium, legimus. Quam superfluum contra et supervacaneum videtur his cum locis collatum illud καθάπερ ἐν τοῖς περὶ τὰς φθορὰς καὶ σωτηρίας εἴρηται πρότερον et similia! Quare aliam huius difficultatis solvendae viam ingrediamur. Statuamus libr. V. et VI. scriptos esse alium alio tempore: tum Massiliensium rempublicam alio aliter iudicavit, remissio autem aut explicatio huius vel illius loci necessaria non fuit, quippe cum duo libri non essent coniuncti neque timendum esset, ne lector discrepantia in eodem opere brevi intervallo occurrente offenderetur. Sic ea contradictio novum peculiaris libri V. documentum esse mihi videtur. Quam arcte contra libri VI. et IV. ab auctore coniuncti fuerint, iterum iterumque demonstratur duobus his locis: cap. V. § 1 = 1321ᵇ 4 sq.: τὸ διῃρῆσθαι καλῶς τὰ περὶ τὰς ἀρχὰς πόσαι καὶ τίνες καὶ τίνων, καθάπερ εἴρηται καὶ πρότερον (sc. IV. 12 = 1299ᵃ 1 sq.) et paulo infra 1321ᵇ 8 sq.: ἐν μὲν ταῖς μικραῖς ἐλάττους τὰς ἀρχάς, ἐν δὲ ταῖς μεγάλαις πλείους, ὥσπερ

---

1) Τῆς πόλεως deest in P.¹·⁵· Π² Bekk.

τυγχάνει πρότερον εἰρημένον (sc. IV. cap. 12, 4 et 5 = 1299^a 32 – 1299^b 10.).

Cap. V § 13 = 1323^a 9, 10: περὶ μὲν οὖν τῶν ἀρχῶν, ὡς ἐν τύπῳ σχεδὸν εἴρηται περὶ πασῶν liber subito concluditur. Iam Conringius ad h. l. emendation. pag. 735 adnotaverat: „Proxime videtur his subsecuta esse doctrina de iudiciis. Quae periit. Periit vero et integra pars de mixtis rebus publicis, quae debuit esse huius libri pars altera, sicuti patet ex libri initio.“ Sic quidem Conringius et deinde famosos illos ponit asteriscos.[1]) Atque, ut mihi quidem videtur, rectissime. Nam praeter documentum, quod ex defectu rerum necessario hic tractandarum repetitur, spatii quoque ratio ad lacunam satis amplam demonstrandam nobis haud inutilis erit. Recurramus igitur ad illam paginarum singul. libr. comparationem p. I. pag. 34 expositam. Videbimus libro VI. sex paginas compleri, qui numerus est circiter dimidia pars numerorum pag. ceterorum voluminum. Desideratur ergo fere dimidia pars unius voluminis, quod ad Conringianum illud „quae debuit esse huius libri pars altera“ sententiarum conexu considerato postulatum optime convenit.

De libro V. (VIII.).

Continetur hoc libro peculiaris περὶ σωτηρίας καὶ φθορᾶς vel brevius περὶ μεταβολὰς τῶν πολιτειῶν disputatio, quae apte hic ab editore adiuncta, sed vix ab ipso Aristotele cum toto reliquo opere composita est. Nam propriae et absolutae ipsius per se commentationis speciem prae se fert, quae neutiquam ex ceteris libris pendeat. Spatio quoque distat ab ceteris voluminibus: nam sola 16 paginas complet (cfr. p. I. pag. 34), praeterquam quod in fine non pauca perisse videntur.

Sed non re solum tractata singularem hunc librum esse disputationem demonstratur, forma quoque et tractandi ratione ipsa idem confirmatur.

---

1) Sus.₂ quoque Conringio assentitur, cum h. l. lacunam statuat et pag. 680 adn. 7 breviter moneat: Die Lücke Susem. nach Conring.“ De illis autem, quae hic excidisse censeat, cfr. adnot. 1488 Sus.₃ p. II. pag. 315.

2) Liber VIII., qui ipse 6 continet pag., non minus truncus est. cfr. pag. 31.

Nam primum quidem res, de quibus agitur, optime ordinatae et dispositae et disputatio ipsa absoluta et perfecta est.

Cap. I § 4 = 1301ᵇ 5: *ἀρχαὶ μὲν οὖν αὗται καὶ πηγαὶ τῶν στάσεών εἰσιν* commentatio generatim instituta ad singula traducitur.

Cap. II § 1 = 1302ᵃ 16 sq.: *ἐπεὶ δὲ σκοποῦμεν, ἐκ τίνων αἵ τε στάσεις γίνονται καὶ μεταβολαὶ περὶ τὰς πολιτείας, ληπτέον πρῶτον τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς αἰτίας αὐτῶν.* Hoc loco definite totius commentationis dispositionem iterum proponit et primum *πολιτείας* i. e. aristocratiam, oligarchiam, democratiam tractaturum se pollicetur. Tum autem communiter de omnium *πολιτειῶν* mutationis causis disputat et cap. IV. § 1 = 1304ᵇ 16 sq.: *ἁπλῶς μὲν οὖν περὶ πάσας τὰς πολιτείας ἐκ τῶν εἰρημένων συμβέβηκε γίνεσθαι τὰς μεταβολάς· καθ' ἕκαστον δ' εἶδος πολιτείας ἐκ τούτων μερίζοντας τὰ συμβαίνοντα δεῖ θεωρεῖν* apto transitu usus ad singulas civitates (*πολιτείας*) inspiciendas accedit, atque sic quidem, ut cap. IV. et V. (1304ᵇ 20—1306ᵇ 21.) *δημοκρατίαν* et *ὀλιγαρχίαν*, cap. VI. (1306ᵇ 22—1307ᵇ 25.) *ἀριστοκρατίαν* et *πολιτείαν* propriam tractet. Postquam autem sic, quibus causis pereant et commutentur politiae, disputavit, cap. VII. (1307ᵇ 24 – 27), quanam ratione omnes et singulae serventur, expositurum se promittit: „*Ὅθεν μὲν οὖν αἱ μεταβολαὶ γίνονται τῶν πολιτειῶν καὶ αἱ στάσεις, εἴρηται σχεδόν, περὶ δὲ σωτηρίας κοινῇ καὶ χωρὶς ἑκάστης πολιτείας ἐχόμενόν ἐστιν εἰπεῖν.*“

Deinde a) aristocratiae et oligarchiae b) democratiae singulae et universae hac de re inquiruntur.

Cap. VIII. (1310ᵃ 36 sq.) vero ad secundam disputationis partem transit sc. ad monarchias de eadem re examinandas: *ἐξ ὧν μὲν οὖν αἱ πολιτεῖαι μεταβάλλουσι καὶ φθείρονται, καὶ διὰ τίνων σώζονται καὶ διαμένουσι, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν τοσαῦτά ἐστιν. Λείπεται δ' ἐπελθεῖν καὶ περὶ μοναρχίας, ἐξ ὧν τε φθείρεται καὶ δι' ὧν σώζεσθαι πέφυκεν.* Et sic *βασιλείας* et *τυραννίδας* tractat pari atque antea de politiis modo causas et perditionis et salutis exponens.

Cap. X. (1315ᵇ 40 sq.) autem ad tertiam partem commentationis sc. ad rempublicam a philosopho excogitatam i. e. Platonis *πολιτείαν* de eadem re iudicandam transit: *Τὰ μὲν οὖν*

περὶ τὰς πολιτείας καὶ τὰ περὶ μοναρχίας, ἐξ ὧν τε φθείρονται καὶ πάλιν σώζονται, σχεδὸν εἴρηται περὶ πάντων· ἐν δὲ τῇ πολιτείᾳ λέγεται μὲν περὶ μεταβολῶν (καὶ)[1] *ὑπὸ τοῦ Σωκράτους, οὐ μέντοι λέγεται καλῶς.* Haec autem commentationis pars in fine manca est; sed, ut paulo infra exponemus, non multa desiderari videntur.

Talis igitur totius dissertationis dispositio est, quae definito et absoluto sane omnibus numeris consilio instituta est. Haec autem perfecta certe rei tractandae expositio et tractatio ipsa optime convenit ad disputationem peculiarem omnibus partibus expolitam et limatam. Quam mance et parum perfecte contra aliae totius de politicis *πραγματείας* partes tractatae sunt! Neque id mirum. Nam totam pragmatiam inprimis libr. II—VII. (Sus) disputationem Aristoteles componere et expolire coeperat quidem, sed non perfecerat. Hanc autem commentationem perfectam editor invenit et reliquo imperfecto operi apte addidit. Verba enim, quae initio libri hunc cum ceteris coniungendi gratia adiecta sunt, non ipsi Aristoteli, sed editori et pragmatiae compositori tribuenda sunt.

Hoc ut demonstremus, verba ipsa diligentius examinemus. Sunt autem haec l. V cap. I. 1 = 1301ª 19 sq.: *Περὶ μὲν οὖν τῶν ἄλλων, ὧν προειλόμεθα, σχεδὸν εἴρηται περὶ πάντων· ἐκ τίνων δὲ μεταβάλλουσιν αἱ πολιτεῖαι καὶ πόσων καὶ ποίων, καὶ τίνες ἑκάστης πολιτείας φθοραὶ καὶ ἐκ ποίων εἰς ποίας μάλιστα μεθίστανται, ἔτι δὲ σωτηρίαι τίνες καὶ κοινῇ καὶ χωρὶς ἑκάστης εἰσίν, ἔτι δὲ διὰ τίνων ἂν μάλιστα σῴζοιτο τῶν πολιτειῶν ἑκάστη, σκεπτέον ἐφεξῆς τοῖς εἰρημένοις.*

Haec verba iam prioribus editoribus suspecta erant. Nam, qualia sunt, apto sensu et congrua structura certe carent. Quare aliter alius mutare conatus est. Giphanius primus *ἔτι δὲ διὰ τίνων ...... ἑκάστη* uncinis includit; hunc Bekk.[2] secutus est; Goettlingius alterum *ἔτι δὲ* delevit, prius *ἔτι δ'* in *εἰ* et *τίνες* in *τινὲς* mutavit; St. Hil.-Barth. Goettlingii correctionem haud

1) Hoc *καί*, quamquam in nullo exstat codice, ex sensu addere velim. Sensus enim hic esse debet: Postquam de politiis et monarchiis propriis hac de re disputavi, nunc ad Socratis *πολιτείαν* de eadem re iudicandam accedam. Nam Socrates quoque (*καί*) de mutationibus (*περὶ μεταβολῶν*) nonnulla disseruit.

ineptam esse concedit quidem, sed nimio verba tradita conservandi studio aliquid immutare veretur.[1]) Spengelius demum rectam viam ingressus esse mihi videtur, cum haec verba duas initii recensiones perverse confusas censeat. Hunc imitatus est Susemihlius$_{2}$, qui sic initium libri V. (VIII.) instituit:[2]) *Περὶ μὲν οὖν τῶν ἄλλων ὧν προειλόμεθα σχεδὸν εἴρηται περὶ πάντων· ἐκ τίνων δὲ μεταβάλλουσιν αἱ πολιτεῖαι καὶ πόσων καὶ ποίων καὶ τίνες ἑκάστης πολιτείας φθοραί, καὶ ἐκ ποίων εἰς ποίας μάλιστα μεθίστανται,*

ἔτι δὲ σωτηρίαι, τίνες καὶ κοινῇ καὶ χωρὶς ἑκάστης εἰσίν,	*ἔτι δὲ τίνων ἂν μάλιστα σῴζοιτο τῶν πολιτειῶν ἑκάστη*

σκεπτέον ἐφεξῆς τοῖς εἰρημένοις.

Hoc multum certe verisimilitudinis habet; sed quomodo ea confusio et duorum enuntiatorum geminatio orta sit, non explicatur. Hanc ad difficultatem solvendam remittimus lectorem ad ea, quae p. I. pag. 21 sq. de libris ab Alexandrinis grammaticis divisis generatim, et p. alt. pag. 25 sq. de fine libri III. et initio libri VII. (IV.) copiosius exposuimus.

Ibi explanatum est grammaticos illos, qui libros dividendos curabant, in fine unius voluminis conclusionem ita instituisse, ut breviter, quid alterum subsequens volumen contineret, monerent. Eandem autem totius libri summam in exordio proximi libri repetere solebant. Sic eadem vel similia certe enuntiata et in fine et in exordio librorum singulorum legebantur. Quam rationem, cum ex voluminibus separatis in continuos codices opera transcriberentur, multorum errorum et corruptelarum causam fuisse patet.

Idem autem de hoc libri V. loco statuendum est. Rem enim sic fere apte explicare posse mihi videor:

Is, qui primus politicorum pragmatiam constituit et singulos libros et divisit et coniunxit, in fine eius libri, qui V. prae-

---

1) St. Hil.-Barth. edit. tom. II. pag. 338—39 adn. 2: „Je n'ai point admis les corrections de Goettling, bien qu' elles offrent un sens un peu plus satisfaisant que celui du texte; mais elles ne sont appuyées sur aucun manuscrit.“ (!)

2) Susem.$_{3}$ simpliciter verba *ἔτι δὲ τίνων ἂν . . . . τῶν πολιτειῶν ἑκάστη* uncinis (. . . . . . .) includit.

cessit,[1]) ut grammaticorum moris erat, conclusionem fortasse talem effecerat: *Περὶ μὲν οὖν τῶν ἄλλων ὧν προειλόμεθα, σχεδὸν εἴρηται περὶ πάντων· ἐκ τίνων δὲ μεταβάλλουσιν αἱ πολιτεῖαι καὶ πόσων καὶ ποίων καὶ ἐκ ποίων εἰς ποίας μάλιστα μεθίστανται, ἔτι δὲ διὰ τίνων ἂν μάλιστα σῴζοιτο τῶν πολιτειῶν ἑκάστη, σκεπτέον ἐφεξῆς τοῖς εἰρημένοις.* Nota autem illa eiusdem sententiae, si non verborum, repetitione librum V. (VIII.) ita fortasse exorsus est: [*λοιπὸν δ' ἐξελθεῖν*[2])] *καὶ τίνες ἑκάστης πολιτείας φθοραί, ἔτι δὲ σωτηρίαι τίνες καὶ κοινῇ καὶ χωρὶς ἑκάστης εἰσίν.* Quae duo enuntiata, quamdiu in diversis voluminibus scripta erant, ferri poterant. Sed cum volumina in codices transcriberentur, librarii hanc geminationem eorundem fere verborum non iam intellegentes verba ipsa confundebant et, quam poterant optime, coaptare et coniungere studebant. Sic alterius enuntiati verbum (*ἐξελθεῖν, θεωρεῖν* vel simile) excidit et totum enuntiatum conglutinatum in exordium libri V. (VIII.) pervenit. Sic contextus, quem hodie initio libri V. legimus, aliquo modo explicatur.[3]) Cum autem haec verba editori tribuenda sint, commentatio ipsa a verbis *δεῖ* (*δὲ*) *πρῶτον ὑπολαβεῖν τὴν ἀρχὴν ὅτι ..... κ.τ.λ.*

Sed alia quoque peculiarem hanc disputationem fuisse documenta investigari possunt. Memorabile inprimis videtur per totam dissertationem auctorem lectores semper ad ipsum librum V. remittere. Sic cap. II § 2 = 1303^b 5: *καθάπερ εἴρηται πρότερον* referendum est ad cap. I. § 2 = 1301^a 25 sq.; cap. I. § 7 = 1301^b 37: *καθάπερ ἐλέχθη πρότερον* ad cap. I. § 2 = 1301^a 25 sq.;

1) Qui hic fuerit, hodie non iam discernere possumus.

2) Tale quid supplendum; quod quale sit, parum refert.

3) Verba ipsa interpolator inprimis ex cap. VIII. 1 sq. (= 1310^a 37 s.) et cap. X 1 (= 1315^b 46, 1316^a 1 s.) repetisse videtur. Cap. X. 1 legitur etiam illud *εἴρηται σχεδὸν περὶ πάντων.* Ceterum interpolatoris additamentum ea ipsa re proditur, quod ille differentiam inter *πολιτείας* et *μοναρχίας* ab Aristotele per totam hanc dissertationem observatam neglexit et simpliciter *πολιτεῖαι* scripsit.

4) Fortasse Aristoteles commentationem *περὶ μεταβολῶν* sic exorsus erat: [*(Τὸν ἐπισκοποῦντα) ἐκ τίνων μεταβάλλουσιν αἱ πολιτεῖαι καὶ πόσων καὶ ποίων* (haec verba in nostro quoque initio inveniuntur)] *δεῖ πρῶτον ὑπολαβεῖν κ.τ.λ.* Cfr. initium libri III.: *τῷ περὶ πολιτείας ἐπισκοποῦντι ..... πρώτη σκέψις κ.τ.λ.*

cap. V § 7 = 1306^a 34: *αἱ εἰρημέναι πρότερον* ad cap. III. § 3 = 1304^a 1 sq.; cap. VI. § 7^b = 1307^b 2 *ὅπερ εἴρηται ἐν τοῖς πρότερον καθόλου* ad cap. II. § 3—9^b = 1302^a 35 sq.; cap. VII. § 4 = 1308^a 18 *ὥσπερ εἴρηται πρότερον* ad cap. V. 4—5 = 1305^b 23—40; cap. VIII. § 8 = 1311^a 22 sq. *καθάπερ οὖν σχεδὸν ἐλέχθη* ad cap. VIII. 1^b = 1310^b 1—7; cap. VIII 14^b = 1311^b 36 sq.: *ἓν γάρ τι τοῦτο τῶν αἰτίων ἦν* ad cap. II. § 3—5 = 1302^a 35—1302^b 25; cap. IX. 2 = 1313^a 39: *ἔστι δὲ τά τε πάλαι λεχθέντα* ad cap. VIII. 7 = 1311^a 10 sq.

His tam multis ad ipsius libri V. locos remissionibus duo loci opponi possunt, qui ad libros priores referri videantur.

Cap. VII. § 2^b = 1308^a 2 sq.: *ποῖα δὲ λέγομεν τῶν πολιτειῶν σοφίσματα πρότερον εἴρηται* = l. IV. Cap. X. 5 = 1297^a 13 sq.: *ἔστι δὲ ὅσα προφάσεως χάριν ἐν ταῖς πολιτείαις σοφίζονται πρὸς τὸν δῆμον κ.τ.λ.*

Haec autem citatio, quae sine ulla vi et sine sensus laesione ex contextu removeri potest,[1]) cum alia eaque gravia documenta ei adversentur, facile editori tribui potest.

Cap. VII. 16 = 1309^b 16 sq.: *καὶ τὸ πολλάκις εἰρημένον μέγιστον στοιχεῖον, τὸ τηρεῖν ὅπως κρεῖττον ἔσται τὸ βουλόμενον τὴν πολιτείαν πλῆθος τοῦ μὴ βουλομένου*, quod ad lib. VI. cap. III. 2 et ad l. IV. cap. X. 1. (1320^a 15 sq. et 1297^a 6 sq.) refertur, sententiae nostrae contrarium non est. Nam *τὸ πολλάκις εἰρημένον* simpliciter „id quod iam saepissime dictum est" significat neque ad opus solum, in quo legitur, sed omnino ad aliquem auctoris librum relegare videtur, praesertim cum hoc loco illud *πρότερον* desit.

Citationibus igitur ea, quam nos proponimus, sententia non modo non refellatur, immo probatur; sed aliae quoque causae ei prosperae sunt.

Occurrunt enim nonnullae contradictiones cum eis, quae in prioribus libris exposita sunt. Quae quomodo aptius explicari possunt, quam si hanc disputationem peculiarem iudicamus?

---

1) A Sus.$_2$ et Sus.$_3$ haec verba ut parenthesis, uncinis (. . . . . .) inclusa sunt.

Gravissimus hic locus est cap. VIII. § 2 = 1310[b] 9 sq.: *ἡ μὲν γὰρ βασιλεία πρὸς βοήθειαν τὴν ἀπὸ τοῦ δήμου τοῖς ἐπιεικέσι γέγονεν, καὶ καθίσταται βασιλεὺς ἐκ τῶν ἐπιεικῶν καθ' ὑπεροχὴν ἀρετῆς κ.τ.λ.* Libr. III. cap. X. 7 = 1286[b] 8 sq. autem legimus: *καὶ διὰ τοῦτ' ἴσως ἐβασιλεύοντο πρότερον, ὅτι σπάνιον ἦν εὑρεῖν ἄνδρας πολὺ διαφέροντας κατ' ἀρετὴν κ.τ.λ.* Aperta certe haec contradictio est. Neque cum hoc solo discordat loco illud enuntiatum libri V., sed etiam cum libr. I. cap. I. § 7 = 1252[b] 16 sq.: *μάλιστα δ' ἔοικε κατὰ φύσιν ἡ κώμη ἀποικία οἰκίας εἶναι ..... διὸ καὶ τὸ πρῶτον ἐβασιλεύοντο αἱ πόλεις ..... ἐκ γὰρ βασιλευομένων συνῆλθον, πᾶσα γὰρ οἰκία βασιλεύεται ὑπὸ τοῦ πρεσβυτάτου κ.τ.λ.* Susemihlius hanc differentiam adn. 1649 explicari non posse confitetur, nisi „durch den Reiz der Zuspitzung des Gegensatzes gegen die Tyrannis." Sed nonne multo simplicius quam hac artificiosa sane explicatione eae difficultates solvuntur, si librum V. peculiarem commentationem, quae priorum rationem nullam habuerit librorum, iudicamus?

Cap. IX. § 1 = 1313[a] 27 sq.: *καὶ τὴν τῶν ἐφόρων ἀρχὴν ἐπικαταστήσαντος* (sc. *Θεοπόμπου*)· *τῆς γὰρ δυνάμεως ἀφελὼν ηὔξησε τῷ χρόνῳ τὴν βασιλείαν, ὥστε τρόπον τινὰ ἐποίησεν οὐκ ἐλάττονα ἀλλὰ μείζονα αὐτήν.* Rectissime Trieber, „Forschungen etc." pag. 90, adn. 1. ad hunc locum monet: „In Widerspruch setzt sich Aristoteles mit sich selbst, wenn er die Ephorenmacht von Theopomp begründen lässt: er gerade musste sie Lykurg zuweisen, da er (II, 7, 1) die spartanische Verfassung von Kreta entlehnt glaubte, wo ja die Kosmen, nach ihm das Vorbild der Ephoren, an die Stelle der Könige getreten waren (II, 7, 3)".[1]) De hac discordia idem dicendum, quod supra. Sententiae et iudicia mutantur. Sed in eodem opere ab ipso auctore composito tales contradictiones ferri nequeunt. Ergo liber V. peculiaris est.

Denique ea ipsa ratio, qua cap. X. de republica Platonis (sc. de libr. VIII. et IX.) agitur, ad nostram sententiam defendendam adhiberi potest. Neque enim ulla usquam ad libr. II.

---

1) Susem., adnot. 1710.

invenitur relatio. Et quam proximum fuit illius libri mentionem facere, si quidem hae duae commentationes ab ipso auctore in uno opere coniunctae fuissent!

Contra discordia quaedam iterum in hac quoque libri V. parte occurrit cum libro III. Legimus enim libr. V. cap. X. § 4^b = 1316^a 39 sq.[1]): *Ἄτοπον δὲ καὶ τὸ οἴεσθαι εἰς ὀλιγαρχίαν διὰ τοῦτο μεταβάλλειν, ὅτι φιλοχρήματοι καὶ χρηματισταὶ οἱ ἐν ταῖς ἀρχαῖς*; lib. III. cap. X, 8 = 1286^b 14 sq. autem: *ἐπεὶ δὲ χείρους γενόμενοι ἐχρηματίζοντο ἀπὸ τῶν κοινῶν, ἐντεῦθέν ποθεν εὔλογον γενέσθαι τὰς ὀλιγαρχίας*. Quod igitur hic *ἄτοπον*, idem illic *εὔλογον* appellat. Ea discordia in opere ab ipso auctore coniuncto et expolito tolerari vix potest. In duabus vero separatis ac diversis temporibus conscriptis disputationibus ex mutata hac de re interim auctoris sententia eius modi differentia facile explicatur.

Cap. X. 6^d = 1316^b 27 concluditur liber in editione Susemihlii lacuna, quam $Sus._2$ et $Sus._3$ secundum Conringium hic statuit. Sed non multa excidisse videntur. Nam ad Platonis crisin pauca desiderantur; ipso autem voluminis spatio inspecto (continet liber V. sedecim paginas, cfr. p. I. pag. 34) hic plura interisse conicere vetamur.[2]) Illam enim, quam $Susem._2$ adn. 1788 hic de legibus postulat, commentationem potius ad secundam libri VI. partem nobis amissam relegare velim. Nam ibi apte addita esse potuit et spatii quoque ratione (continet liber VI. in editione $Bekk._1$ sex paginas) verisimile fit dimidiam circiter voluminis partem nobis perisse.

Haec habui de libro V. quae dicerem. Ponderatis autem argumentis omnibus illud, si non definite demonstrari, at certe

---

1) $Susem._2$ adnot. 1777 Krohnii totum hoc caput ab illam contradictionem peripatetico alicui tribuentis sententiam affert et ferme probat. Hoc utique non necessarium; immo differentia locorum multo simplicius nostra sententia explicatur.

2) Scilicet, si primum editorem totam etiam huius commentationis expositionem habuisse iudicamus et iacturam extremae partis iniquitati temporum tribuimus. Nam multo maioris spatii dissertationem editores in duos potius libros dissecuissent. Aliter res se habet, si editores ipsos hanc *περὶ μεταβολῶν* commentationem imperfectam invenisse existimamus. Tum certe ex ceterorum voluminum spatiis, quantum perierit, conici non potest. Utrum autem verius, hodie vix iam discernas.

verisimillimum iudicari potest hunc librum peculiarem περὶ μεταβολῶν πολιτειῶν καὶ μοναρχιῶν commentationem fuisse, quae vix ab ipso Aristotele reliquo politicorum corpori adiuncta est, sed potius ab πραγματείας compositore demum ut liber extremus ceteris πολιτικῶν voluminibus adiecta esse videtur.

Sed iam singulis quoque libris examinatis ad finem huius disputatiunculae pervenimus, qua haec summatim ostendere conati sumus:

Politica, qualia nobis tradita sunt, Aristotelis, quorum, quem nos habemus, contextus ad Andronici inprimis editionem referendus esse videtur, non ab ipso auctore perfecta et composita, sed ab Alexandrinis demum grammaticis ut πραγματεία πολιτική ita constituta sunt, ut ab ipso Aristotele libros II. III. IV.—VI. VII. VIII. (II.—VII apud Susem.) ex singularibus primo disputationibus in totum quoddam coniungi iam coeptos reperirent et huic continuae commentationum seriei separatam περὶ οἰκονομίας dissertationem in initio pragmatiae ut librum I., in fine autem peculiarem περὶ πολ. σωτηρίας καὶ φθορᾶς disputationem velut librum extremum adderent, cum has ipsas disputationes consilio ac rationi suae quodam modo accommodassent et adaptassent. Utique vero continuae (libr. II.—VII. Sus.) commentationis in libros divisio non minus quam singulorum librorum prooemia et conclusiones illis grammaticis tribuenda sunt. Cum autem librorum divisio plerumque non ex ipsa re instituta esset totumque parum perfectum non satis cohaereret, voluminum singulorum ordo casu aliquo perturbatus est; posteriores vero editores, quem ipsi instituerant, ordinem firmare conabantur,

1) Ea in exordio et fine operis aliquid addendi ratio certe proxima et verisimillima est. Quam si statuimus, ille quoque Spengelii et St. Hil.-Barthelemii ordo librorum quodam modo defenditur et confirmatur.

sicque illae citationes in opus irrepsisse videntur, quibus ordo librorum nobis traditus defenditur.

Haec fere illis, quae exposuimus, non demonstrasse — id quod in re coniecturis magis quam certis documentis ab ipsis veteribus nobis traditis fulcienda vix quisquam poterit — at tamen ad aliquam verisimilitudinem perduxisse nobis videmur. —